



Stech-
flechte!



1 Weismanni f. Christ. Erbsh. f. iusta rationes
collectionis Canonice Scripturarum
Sacrarum, contra modernas quasdam
objectiones vindicatio, Tubingae
1737.

2 Specimen Magni Nichilii in rebus
vestri religionis, Tubingae 1739.

3 Diff. de veritate divina, fuerit
sicut expulsa, tamen usque recurrit
Tubingae 1740.

4 Varia Sacra, Tubingae 1738.

5 Renovata exceptioes contra
divinam institutionem Baptismi et
3. Ceneri Tubingae 1736.

Responsiones Speciales ad Georgii
Bulli objectiones de justificatione
fidei, Tubingae 1733.

t. 150
DISPVATIO SOLEMNIS THEOLOGICA

DE
D I V I N I T A T E
S P I R I T V S S A N C T I
C O N T R A P N E V M A T O M A C H O S

QVAM
P R A E S I D E

I E S. F R I D E R. W E I S S E N B O R N I O

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE PVBL. PRIMARIO
CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI ECCLESIAST. DIOECES.
IENENSIS SVPERINTENDENTE ET PASTORE

P R O S V M M I S I N T H E O L O G I A
HONORIBVS RITE IMPETRANDIS

DIE XXIIII. MAII A. O. R. MDCC XXXX.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM

PVBLCO CONFLICTVI EXPONIT

A V C T O R

I O. C H R I S T O P H O R V S P F E I F F E R

BONAR. ART. MAG. MINIST. EVANGEL. ERFFVRT. ADSESSOR
AD AEDEM SANCTI IOANNIS PASTOR GYMNAS. SENAT.
ET ORPHANOTR. EVANG. INSPECTOR.



IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

DISPUTATIO SOLLEMNIS THEOLOGICA

DIVINITATE

SPRITUS SANCTI
CONTRA THEMATOMACHOS

IES. FRIDR. WEISSENBORNO

THEOLOGICAE DOCTORUM ET P. THEO. SEMINARII
CONSILIIARIO SACRO-SANCTAE THEOLOGICAE FACULTATIS
UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS MAGNAE SCHOEUNGERIANAE
IN HALLE MAGN. DIE XXIII. MAI. A. O. M. DCC. LXXX.

PRO SYMMONIS ET IOHANNIS

IO. CHRISTOPHORUS PLETNER



ANNAE LITTEAE



SYNEDRII
ECCLESIASTICI
ERFFVRTENSIS EVANGELICI
SEV
MINISTERII
VTI IAM FLORET
SENIORI
CONSVLENTI
ET
ADSESSORIBVS.

VIRIS

OMNI ERVDITIONIS LAVDE ILLV-
STRIBVS AC ORNATISSIMIS
MVNERVM AC DIGNITATVM SPLENDORE MERI-
TORVMQVE GLORIA
MAXIME CONSPICVIS

DN. IO. LAVRENTIO PFEIFFERO,
SS. THEOL. DOCT. AVGVST. CONFESS. PROF. PVBL. MINIST.
EVANG. SENIORI PRAEDICAT. PAST. PRIM. ET GYMN.
SENAT. PROT-EPHORO

DN. ERNESTO AVG. APFELSTAEDT,
I. V. D. ILLVSTR. COMIT. HATZFELDENSIVM CANCELLA-
RIAE BLANCKENHAYNENSIS PRAEFECTO CIVIT. ERFVRT.
PRO-CONSVLI ET SYNDICO MINIST. EVANG. CONSV-
LENTI ATQVE GYMN. SENAT. EPHORO

DN. HIERONYMO FRIDER. SCHORCH,
I. V. D. FACVLT. IVRID. ERFVRT. ADSESSORI PANDECT.
PROF. PVBL. ORDIN. CIVITAT. PRO-CONSVLI MINIST.
ADSESSORI ET GYMN. SENAT. EPHORO

DN. SIGISMVND FRIESE,
CIVITAT. CONSVLI MINIST. ADSESSORI ET GYMNAS.
SENAT. EPHORO

DN. GEORGIO CONRADO BEYER,
CIVITAT. PRO-CONSVLI MINIST. ADSESS. ET GYMN.
SENAT. EPHORO

DN. M. IO. HENRICO TIEMEROTH,
MINIST. ADSESS. FACVLT. PHILOS. ADSESS. ET PROF. PVBL.
ORDIN. S. MICHAEL. PASTORI ATQVE GYMNAS.
SENAT. PROF.

DN. M. IO. HENRICO BOHN,
S. ANDR. ET MAVRIT PASTORI ATQVE GYMNAS.
SENAT. EPHORO

DN.

DN. M. HENR. WOLFFG. FRATZSCHER,
MINIST. ADSESS. FACVLTV. PHILOS. ADSESS. EXTRAORDIN.
ET PROF. PVBL. S. THOM. PAST. ATQVE GYMNAS.
SENAT. EPHORO

DN. IO. MARTINO ROESCH,
MINIST. ADSESS. XENODOCHII PASTORI

DN. M. ERN. AVGVSTO BOHN,
MINIST. ADSESS. FACVLTV. PHILOS. ADSESS. EXTRAORDIN.
ET PROF. PVBL. AC PAST. PRAEDICAT. NONAR.

DN. M. IO. SYLV. WEINGAERTNER,
MINIST. ADSESS. ET AD REGVLAR. PAST.

DN. M. IO. EHRENFRIED REIFF,
MINIST. ADSESS. ET PRAEDICAT. SVB-PAST.

DN. M. IO. MELCHIOR MOELLER,
MINIST. ADSESS. ET MERCAT. PAST.

DN. M. IO. MARTINO KIRCHNER,
MINIST. ADSESS. ET MINORIT. PAST.

DN. M. GE. IOACHIMO TENNEMANN,
MINIST. ADSESS. S. MICHAEL. DIACONO ET GYMNAS.
SENAT. PROF.

DN. M. IO. RVDOLPHO LANGGVTH,
MINIST. ADSESS. S. ANDR. ET MAVRIT. DIAC.

DN. IO. LVDOVICO DOERING,
MINIST. ADSESS. S. IOANNIS DIACONO ET GYMNAS.
SENAT. PROF.

DN. M. IO. ANDREA LOZEN,
MINIST. ADSESS. ET AD REGVLAR. DIAC.

DN. M. IO. ANDREA THAVER,
MINIST. ADSESS. ET MERCAT. DIAC.

PATRONIS FAVORIBVS
AMICIS AC COLLEGIS SVIS

OMNI VENERATIONIS
OBSEQVII ET PIETATIS CVLTV RELIGIOSE
SVSPICIENDIS

DISSERTATIONEM HANC INAVGV-
RALEM THEOLOGICAM

IN DEVOTI CVLTVS AC PII ANIMI SVI
PIGNVS AC TESSERAM

CVM FIDO ATQVE SINCERO

OMNIGENAE ET PERPETVAE FELICITATIS
VOTO

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

D. D. D.

A V C T O R.



II 1000
CAPITIS I.
QVOD HISTORIAM HOSTIVM DIVINITATIS
SPIRITVS SANCTI SISTIT.

SYNOPSIS.

PROOEMIUM

SECTIONE I.

§. I. **D**E iis agitur, qui
vnam tantum in di-
uinitate statuunt personam,
remota omni trinitatis specie.

§. II. De iudeis.

§. III. De Muhammedanis.

§. IV. De gentilibus et trini-
tate Platonica.

§. V. De Cerintho et Ebione.

§. VI. De Paulo Samosateno.

§. VII. De Marcello Ancyrano.

§. VIII. De Photino.

§. IX. De Socinianis.

SECTIONE II.

§. X. De iis, qui speciem trini-
tatis præ se ferunt, sed reale
personarum discrimen tol-
lunt.

§. XI. De Simone mago et Me-
nandro.

§. XII. De Valentino et eius-
dem sectatoribus.

§. XIII. De Marcione et adsectis.

§. XIV. De Montano et Monta-
nistis.

§. XV. De Præsea et Beryllo.

§. XVI. De Noeto.

§. XVII. De Sabellio.

§. XVIII. De Manichæis, Rosce-
lino et Bogomilis.

§. XIX. XX. De Michaele Ser-
ueto.

§. XXI. De Petro Poirreto.

§. XXII. De Clerico, Deyffingio,
Wallisso et Roelio.

SECTIONE III.

§. XXIII. De iis, qui persona-
rum in diuinitate pluralita-
tem admittunt, sed illarum
statuunt inæqualitatem.

§. XXIV. XXV. XXVI. De Ario
et Arianis.

§. XXVII. De Arianorum tribus
factionibus, Anomæis, semi-
Arianis et Acacianis.

§. XXVIII. De Macedonianis
et pneumatomachis strictè sic
dictis.

§. XXIX. De Abelardo et Ioa-
chimo, aliisque recentiori-
bus Arianis.

§. XXX. De Arianis mollibus
seu Arminianis.

§. XXXI. De Truhenis.

CAP-

S Y N O P S I S.

CAPITIS II.
DOGMATICO-POLEMICI.

S Y N O P S I S.

SECTIO I. DOGMATICA.

- §. I. **V**ox spiritus sanctus triplici sumitur significatu, vel ἁγιωδῶς, vel ὑπόστατικῶς, vel μετὰ ὑποκειμένου.
- §. II. Spiritus sanctus propriam habet ὑπόστασιν, persona est diuina, est denique a patre et filio distincta persona.
- §. III. Spiritus sancti personalitas ratione philosophica probatur.
- §. IV. Eiusdem personalitas euincitur ex proprietatibus et adfectionibus personalibus.
- §. V. Ex operationibus personalibus.
- §. VI. Ex baptismi formula.
- §. VII. Diuinitas spiritus sancti probatur, ex eo, quod illi nomen dei adscribitur.
- §. VIII. Confirmatur ex attributis diuinis, quæ illi competunt.
- §. IX. Ex diuinis operibus.

- §. X. Ex cultu religioso et honore diuino ei debito.
- §. XI. Vltior probatio diuinitatis spiritus sancti ex dictis Actor. V, 9. Ebr. III, 9. Matth. XII, 31. 32. Exod. XXXIV, 34. et 2 Cor. III.
- §. XII. Spiritus sanctus distincta a patre et filio est persona.

SECTIO II. POLEMICA.

- §. XIII. Obiectio aduersariorum de errore patrum ante Nicænorum soluitur.
- §. XIV. Aliud argumentum ex simbolo apostolico desumptum exploditur.
- §. XV. Refutatur argumentum ex simbolo Nicæno et Constantinopolitano depromptum.
- §. XVI. De argumentis quibusdam ex ratione contra trinitatem et diuinitatem spiritus sancti desumptis agitur.
- §. XVII. Ad argumenta ex dictis scripturæ sacre male applicatis, respondetur.



PROOE.



PROOEMIUM.



FIDEI nostræ christianæ, de sacro-sanctæ trinitatis mysterio, doctrina, cum vt loqui theologorum nonnulli amant, fundamentalissima sit, et nec ignorari, nec negari sine maximo salutis nostræ periculo possit ac debeat; necessario sequitur, vt theologorum aut verbi diuini ministrorum officii ratio postulet, veritatem contra mendacium fortiter et mascule defendere, et, ne lux a tenebris obscuretur, prouidere. Hunc in finem non solum requiritur, vt de doctrina de trinitate in genere agatur, sed etiam speciali modo, summa ac æterna, vel filii dei, vel spiritus sancti, diuinitas probetur, confirmetur ac contra anti-trinitariorum insultu stabiliatur. Huc spectat illa, quæ in dissertatione hac inaugurali qualiscunque impensa est, opera, et eo magis in hoc stadio decurrere mihi placuit, cum patrem meum summe reuerendum et suauissimum, D. IO. LAVR. PFEIFFERVM, ecclesiarum Erfurtensum euangelicarum præfulem, præeuntem habui et suasorem. Anti-trinitariis enim contra summam ac æternam filii dei, iesu

A

iesu christi, diuinitatem militantibus, dissertationem suam inauguralem, anno MDCCIX. Lipsiæ habitam, opposuit. Premo illius vestigia, et speciatim contra diuinitatis spiritus sancti hostes calamum stringere, animum induxi meum. Ut autem secundum ordinem in hoc tam magni momenti negotio procedam, in duo dispeſcam dissertationem capita, historicum nempe, quod catalogum hostium diuinitatis spiritus sancti exhibet, et dogmatico-polemicum, in quo diuinitas spiritus sancti solidis argumentis tam probatur, quam contra anti-trinitariorum et pneumatomachorum conatus et sophisticaciones defenditur.

CAPVT PRIMVM

IDQVE HISTORICVM

HOSTES DIVINITATIS SPIRITVS SANCTI A CHRISTI TEMPORIBVS AD NOSTRA VSQVE SAECVLA SISTENS, QVOD TRIBVS ITERVM ABSOLVITVR SECTIONIBVS.

SECTIO PRIMA.

§. I.

CVM diuersimode contra diuinitatem spiritus sancti pugnatum sit, in diuersas quoque spiritus sancti diuinitatis aduersarii, abeunt partes. Quidam diuinitatem spiritus sancti negant, dum vnam tantum in diuinitate personam statuunt, et omnem prorsus trinitatis speciem reiiciunt, hoc nomine, vt beatus BVD-DEVS optime monet, a Sabellianis maxime discernendi. Sunt autem vel extra ecclesiam christianam constituti,

stituti, et integræ religionis christianæ hostes; vel qui quodammodo ad ecclesiam christianam pertinere videntur, dum religionem christianam, in genere spectatam, pro vera amplectuntur.

§. II.

Extra ecclesiam christianam, diuinitatis spiritus sancti hostes, qui omnem trinitatis speciem reiciunt, et vnam tantum in diuinitate personam agnoscunt, sunt primo iudei, populus ille electus et a deo impense dilectus, cui se hoc numen supremum in veteri foedere, satis superque per verbum suum et prophetas, ne quid de aliis modis dicam, manifestauit. Potuerunt hinc, vti ex dictis veteris testamenti sacris et perspicuis elucet, deum trinunum, et præcipue etiam diuinitatem spiritus sancti cognoscere, et nullum est dubium, quin hoc mysterium patribus non ignotum fuerit, cum alias non potuissent salui fieri per gratiam domini nostri iesu christi, sicut et nos, act. XV, II. His addenda, quæ de quibusdam vestigiis et testimoniis, trinitatis iudæis cognita ac perspecta, ex libris apocryphis sapientia et ecclesiastico, cabbala, paraphrasibus chaldaicis et scriptis PHILONIS iudæi, inter doctos disputantur: vid. BYDDEI theol. dogmat. p. 429. WALCHII introduct. hist. in controu. relig. extra eccles. Luther. part. IV. §. 2. p. 5. et, quem præcipue commendant, PETRI ALLIXII iudicium veteris ecclesiæ iudæicæ contra unitarios. Sed cum veritati cælesti inimici facti sunt, temporibus iesu christi, ex iusto dei iudicio, tantæ caligini immersi erant, vt oculis videntibus non viderent, nec trinitatis veritatem perspicere, licet sole meridiano clariores radios spargeret. Et hoc velamine adhuc hodie adeo obducta est facies illorum, vt dogma de trinitate inter maximos grauissimosque erro-

res referant, immo ludibrio habeant: vid. EISENMEN-
 GERI *entdecktes iudenthum part. I. cap. I. sqq.* Inter
 alios, illorum scriptores, MOSES MAIMONIDES, opi-
 nionem iudæorum de spiritu sancto præcipue, exposuit,
 qui varias significationes vocis *רוח* tradens, sic scribit:
quinto significat influentiam illam intellectualem diuinam, a
deo prophetis instillatam, cuius virtute prophetant. Sexto
significat propositum et voluntatem, et concludit: vox
*hec *רוח* quando deo attribuitur, ubique sumitur partim in*
quinta, partim in sexta significatione, quatenus voluntatem
significat, in More Neuchim, part. I. cap. 40. Interim
 tamen ex dictis scripturæ, *act. XXIII, 8. et XIX, 2.*
 neutiquam probatur, quod a iudæis et præsertim Sad-
 ducaeis, tunc temporis existentia spiritus sancti ante
 omnia negata fuerit. Dicebant quidem Sadducaei, *non*
esse resurrectionem, nec angelum, nec spiritum; sed intelli-
gebant modo per spiritum, ab angelis distinctum, spi-
ritum creatum, et sine dubio animam hominis. Si
omnem repudiassent spiritum, deum ipsum omnino ne-
gassent. Si de spiritu sancto tertia trinitatis persona
sermonem habuerint, sequeretur, Phariseos spiritum
*sanctum agnouisse, cum expresse subiicitur: *Pharisei**
constentur utrumque. Ad Ephesinos autem discipulos
 quod attinet, qui ne quidem audierant, an sit spiritus
 sanctus? si iudæi fuere et baptizati baptismo Ioannis,
 vti verisimile est, res non ita accipienda est, quasi nun-
 quam audierint de spiritu sancti existentia; sed potius
 de illius communicatione, et de donis spiritus sancti ex-
 traordinariis et miraculosis. *Ioan. III, 39.* etiam legitur;
non dum erat spiritus sanctus, quod omnino pariter non de
ipsum existentia; sed de larga eiusdem effusione acci-
piendum: conf. PEARSONIVS in expositione symb. apost.
artic. VIII. p. 543.

§. III. Iu-

§. III.

Iudæis adiungendi sunt *Muhammedani*, quorum religio ex iudaismo, paganismo et christianismo confarcinata est. Vnum confitentur deum, et prophetam illius Muhammed, vt ex Alcorano patet. Impossibile esse, ab ipsis dicitur, quod deus possit generare filium, cum immutabilis sit; nec vxorem habeat. Ex quo facile colligitur, quam carnalem et maxime erroneum in genere de deo sibi forment conceptum. Videantur plura in REINECCII *introductione et religionis Muhammedicæ synopsi*. Notatu dignus hic est parallelismus inter Socinianismum et Muhammedanismum, quem DE LA CROZE instituit, dans *les dissertations historiques sur divers sujets*, tom. I. p. I. fqq. a WALCHIO in *introductione histor. in controu. relig. extra eccl. Luther. part. IV. §. 3. P. 15.* citatus: vid. quoque SANDIUS in *nucleo histor. eccl. lib. III. sæcul. VII. p. 347.* et FORBESIUS A CORSE *instruct. histor. theol. lib. IV.*

§. IV.

Nesciunt porro ac negant spiritus sancti diuinitatem gentiles, et recte scribit PEARSONIUS loco supra citato: *si pagani fuerint discipuli illi Ephesini, qui ne quidem audierant, an existeret spiritus factus, mirum id non est, cum nunquam notionem eam in religione sua habuerint.* Religionis gentilium fundamentum et cognoscendi principium est ratio; quam cæca autem et deprauata illa sit in spiritualibus, neminem fugit: quid mirum, si ad trinitatis mysterium amplectendum peruicax, ad indagandum inepta sit? Diserte scribit PFANNERVS in *systemate theologia gentilium purioris, cap. III. p. 130.* est istud sanctum sanctorum siue sancta adyta, quibus prohibita

humana ratio, gentilium acrio subsistere iussa est, malum profana curiositatis premium relatura, si, non rite expiata, impuris oculis manibusue tanta venerationis sacramentum vsurpet: et p. 131. vnde ridiculum quis putare possit, quæ-
 rere, num trinitas ethnicis credita fuerit? quam adeo rationis beneficio indagare non potuerant, ut si de ea aliunde audierant, irrisuri atque ludibrio habituri fuissent. Interim tamen extant indicia, ex quibus, etiam gentilibus mysterium trinitatis innotuisse, conicere queas: videantur MORNAEVS de veritate religionis christiane, cap. VI. et PFANNERVS in systemate theol. gentil. pur. cap. III. PETR. DANIEL HVETIVS in quest. Almetan. de concordia rationis et fidei, lib. II. cap. 3. p. 117. Nota inprimis inter viros doctos est trinitas Platonica, quam IO. BENED. CARPZOVIVS dissertatione erudita, quæ inter reliquas eius dissertationes academicas iunctim editas extat, cap. II. p. 1080. sqq. exhibuit, cuius summa omnino hæc est: tres esse *ὑποστάσεις*, quarum primam vocabant primum ingenitum vel patrem, alteram *ὑποστάσιον* nominabant *ἔνν*, itemque *λόγον*, filium, intellectum, imaginem patris; tertia vero illis erat anima mundi et nonnullis amor. Ita vero rem exponunt LVDOV. VIVES et MORNAEVS: esse summum in deo intellectum, esse voluntatem, quorum ille cognitionem gignat, hæc amorem producat, quorum uterque, cum in deo, utpote entre simplicissimo, nihil nisi essentia sit, deo coessentialis, adeoque coæternus sit, atque iste christianis filius, ille spiritus sanctus nuncupetur. Ut vero ex cognitione oriatur amor, adeoque ista hunc antecedat, ita filium spiritui præponi, non antiquioris temporis iure, cum uterque æternus, sed cognitionis nostre ratione quadam et ordine nature, ut, si initium uterque summsisset, antiquior filius futurus fuerat. Ut autem nascitur

tur

tur amor ex amante per cognitionem, ita spiritum oriri a patre per filium. Plura, qui legere cupit, adeat TOB. PFANNERVM in *system. theol. gent. pur. cap. III. LVD. VIVEM de veritate fidei christ. lib. II. tit. de diuin. trinit. PHIL. MORNAEVM de verit. relig. christian. cap. VII. CVDWORTHVM lib. I. de system. vniuers. cap. IV. p. 551.* Quamuis autem speciosa hæc sint; haud tamen sentiendum, ac si Plato aliique gentiles, doctrinam hanc ex rationis lumine hauserint, cognitamque habuerint et perspectam. Quod enim a maioribus suis, præsertim Pythagora, Plato, et illi per traditionem a gente ebræa, vel per lectionem veteris codicis, vel ab Aegyptiis, posteri autem post christi natales, vti Iamblichus, Amelius, Porphyrius et Plotinus a christianis acceperint, docti viri probe obseruarunt. Quam corrupta etiam de trinitate, Platonicoꝝ doctrina fuerit, ex eo facile cognoscitur, quod alii spiritum sanctum animam mundi nominabant, alii ipsa multiplicabant principia, adeoque indiuisam illam in tribus personis essentia vnitatem negabant, alii vero patrem intellectu seu filio superiorem ac priorem statuebant, vnde prouerbum exortum, aut Platonem Arianizare, aut Arium Platonizare; ac demum tutissime, nec inscite Viues: Plato et alii omnes, si quid de filio dicebant, loquebantur magis, quam quid loquerentur sciebant vel intelligebant. Cognitio mysteriorum huius, doctrinae non est gentilitiae, sed christiane. Legendae, quæ BVDDVS admodum erudite hac de re differit *theolog. dogmat. lib. II. cap. I. p. 437.* PFANNERVS *loc. cit.* et MVSAEVS *disput. contra Keckermannum*, nec non GRAPVS in *theologia recens controuers. lib. I. cap. 2. quest. 1. Et 2.*

§. V. Ad

§. V.

Ad illos, qui, ut sic dicam, intra ecclesiae christianaë pomceria trinitatis doctrinaë bellum indixerunt, quod attinet, illi in censum veniunt hæretici, qui vnam tantum diuinitatis *ὑπόστασιν* et personam statuentes, filii dei et spiritus sancti veram diuinitatem eo ipso negauerunt. Inter primos se nobis offert *Cerintus*, ortu, ut videtur, iudæus, et circa annum octogesimum a christo nato, virulenta sua dogmata spargens. Notum est de illo, quod iesum purum esse hominem ex Maria et Iosepho natum dixerit, christum autem tanquam alium, columbæ figura in iesum descendisse, IRENAEVS *lib. I. cap. 25.* EPIPHANIVS autem refert *hæres. xxviii.* quod spiritum per christum intellexerit, qui tamen ab illo neutiquam ut *ὑπόστασις* quædam, sed tanquam cælestis virtus, quæ se in ipsum effudit, et ex qua miracula faciebat, consideratur. Ex quibus patet, quod inter iesum et christum discrimen fecerit, neque tamen iesum, neque spiritum sanctum, quem christum nominabat, pro diuinis personis agnouerit. *Ebionem* Cerinthi discipulum, gente Samaritanum, vel, ut ipse maluit, iudæum, in eadem fuisse sententia, inter doctos constat. Et quomodo aliter de trinitate sentire potuit, homo iudaismo admodum addictus et magistri sui Cerinthi dogmatibus strenue adhærens? vid. *BVDDEI theol. dogmat. lib. II. cap. I. §. 54. p. 407. et 408.* nec non *WALCHII introduct. histor. in controuers. relig. extra ecclesiam Luther. cap. V. §. 2. p. 10. et II.* Notanda autem, quæ ex *HILARII lib. VII. de trinitate* allegat *SANDIVS in histor. eccles. nucleo p. 64. propter dogmatum Ebionis cum dogmatis Photini conuenientiam, Ebionem eundem esse cum Photino.* Quod duplici modo intelligi posse autumo,

autumo, nimirum Ebionem eandem cum Photino fo-
 uisse sententiam, ex quo patet, quod Ebion ad primæ
 classis anti-trinitarios pertineat: vti ex iis, quæ deinceps
 de Photino dicenda sunt, recte colligitur. Et sic illo-
 rum opinio a vero aberrat, qui Ebionem cum Sabellio
 conspirasse contendunt, immo ipsius Sandii, qui Ebio-
 næos inter eos refert, qui eadem cum Arianis docuerunt,
 cum ipse in nucleo *hisor. eccles.* p. 66. scribit: *ad obiectionem*
tertiam, secundum quam Ebionem, Samosatenum et Pho-
tinum, trinitatem negasse dicatur, respondeo: eos credidisse,
unum deum esse patrem, verbum et spiritum sanctum; sed
eos ideo dici trinitatem negasse, quia non concedebant, pa-
trẽ, filium et spiritum sanctum tres esse hypostasẽ seu sub-
sistentias, sed in solam dei patris ὁμοῦσαι et ὁμοῦσαι include-
bant verbum et spiritum sanctum, quos per se subsistere ne-
gabant. Verba HILARII ita etiam sumi possunt, ac
 si Ebion idem Photinus sit, cuius significationis intuitu
 nonnullorum, inprimis ARNOLDI in mentem venit,
 qui existimat, quod Ebionis persona nunquam in terra-
 rum orbe extiterit, hancque sententiam multis argu-
 mentis confirmare omni ope laborat: vid. ipsius *hisor.*
eccles. part. I. lib. I. cap. 4. p. 42. 43. Hue vero spectant,
 quæ BASNAGIVS in *annal. eccles. part. II. p. 7.* habet:
 sciunt, qui vel leuiter hebraica lingua imbuuntur, פִּדְוֹן
 mendicum significare ac pauperem. Hinc veteribus credi-
 tum, Ebionæos id gessisse nominis ob infantilem doctrinam,
 veræ sane sapientiæ diuitiarum expertem, ipsis impositi, vt
 innuit Eusebius lib. III. cap. XXVII. Hi ab antiquis
 cognominati sunt Ebionæi, quippe qui humiliter admodum et
 abiecte de christo sentirent. Huic ramen sententiæ non assen-
 timur. Licuit patribus quidem facta ad vocem allusione sa-
 pientiæ spiritusque egestatem, nomine, quod gerebant, dignam

B

Ebionæis

Ebionæis obicere; a doctore tamen suo, qui Ebion vocabatur, appellationem traxere, quomodo a Menandro Menandriani, a Cerintho Cerinthiani, a Valentino Valentiniани vocabantur.

§. VI. Certius vero constat de Paulo Samosateno, Antiochiæ episcopo, qui sæculo tertio circa annum CCLXII floruit, EPIPHANIO teste *heres. LXV.* quod omnem personarum trinitatem prorsus negauerit. Est autem Pauli hæc opinio, inquit, deum patrem et filium et spiritum sanctum unum esse deum; verbum dei eiusque spiritum deo inesse perpetuo, sicut hominis in corde inesse verbum cernimus. Verbum per sese subsistentiam habere nullam, sed in deo subsistere. Unus deus est, neque aut pater est pater, aut filius filius, aut spiritus sanctus spiritus est sanctus. LEONTIVS libro de sectis actione III. scribit: Paulum dixisse, non eundem esse patrem, filium et spiritum sanctum; sed patrem illum esse deum aiebat, qui omnia creasset, filium purum illum hominem, spiritum illam gratiam; que super apostolos venerit. Sicuti etiam CAVE in *antiquit. patrum*, et quidem in *vita Dionysii Alexandr.* p. 553. refert, impudenter illum docuisse, quod una tantum in diuinitate sit persona. Legi quoque merentur, quæ de Paulo Samosateno SANDIVS collegit in *nucleo histor. eccles.* p. 114. 115. Paulus Samosatenus, scribit: docuit, unum deum patrem, filium et spiritum sanctum, quod deinceps XIII. argumentis ex historia desumptis confirmat. Nec consummatissimus theologorum nostrorum, beatus BVDDVS prætermittendus, qui accurate et docte rem proponit in *theologia dogmat. lib. II. cap. I.* p. 282. sqq. Probe autem simul obseruanda, quæ ibidem de quorundam, et præsertim ipsius Athanasii sententia disputat, qui in Sabellii castris Pau-

Paulum militasse putat, in quam etiam CHRISTIANVS WORMIUS in *historia Sabelliana*, cap. III. §. 2. p. 144. ingressus est, dicens, quod Samosatani dogma non nisi purus putus Sabellianismus, insigni impietate auctus, sit. Corroborari aliquatenus illam posse, videtur, ex testimonio IOANNIS MAXENTII, a SANDIO loco citato in medium prolato. Ioannes Maxentius dialog. II. dicit: Sabellium et Paulum Samosatenum contendisse, trinitatem esse in nominibus, non in substantiis sue personis. Vnde videtur aliqua ex parte ex Sabellio Paulus mutuatus esse venenum. Perpicue tamen et solide hanc opinionem BVDDEVS l. c. refellit, Leonii explicacionem luculentissimam referens, et adducens pariter, quod Samosatani subinde cum iudæis conferantur: vid. NATAL. ALEXANDR. *histor. eccles. tom. III. p. 590. sqq.*

§. VII.

Paulum Samosatenum excipit Marcellus Ancyrae, quæ Galatiae metropolis fuit, episcopus, et circa annum CCCXV. iam clarus, quem in Pauli Samosatani doctrinam deuolutum, SOZOMENVS diserte pronuntiat *histor. eccles. lih. II. cap. XXXIII.* a nonnullis tamen inter Sabellii sectatores refertur. In errorem Pauli Samosatani vel ex incuria, vel studio incidisse Marcellum, cum contra Asterium, Arii dogmata propugnantem, scripserit, CAVEVS narrat in *antiquit. patrum, part. II. p. 170.* BASILIUS MAGNVS *epist. LXXIV.* ad occidentales episcopos data: Scitis, inquit, quam omnem spem nostram irritam faciat Marcelli dogma, quod neque filium propria et discreta hypostasi præditum constitetur, sed productum et ad eum iterum reuersum, ex quo processerat, tradit: neque paraclatum propriam habere hypostasin, concedit.

Cum Sabellio autem illum conspirasse, partim ex testimonio BASILII *epist. LXXIV. THEODORETI lib. II. cap. x.* aliorumque, partim ex doctrina ipsa colligi potest. NICETAS enim CHONIATES *thes. orthod. fid. lib. IV. hæres. XXIX. p. 338.* sententiam eius ita exponit: *Filium ex patre, sicuti palmitem ex vite gigni, quem ἐκστάσι vel extensionem diuinitatis patris ad filium, nec non verbum dei nominabat, quod vero peracta oeconomia vniuersa rursus ad patrem, ex quo extensum fuerit, attracturum et reuersurum iri. Spiritum sanctum vero ἀπέκτασιν τῆς ἐκστάσεως seu extensionem extensionis vocabat, et hanc apostolis datam fuisse, verbo, trinitatem patris, filii et spiritus sancti in extensione consistere.* Plura, qui legere cupit, EVSEBIUM contra Marcellum: BASNAGIVM in *annalibus, tom. II. p. 756. sqq.* CAVEVM in *histor. liter. script. eccles. p. 108.* nec non SANDIVM in *nucleo histor. eccles. p. 115. sqq.* adeat, vbi etiam de *Eustathianis, Paulino et Euphrata*, aliisque Marcelli sectatoribus mentio fit. Notandum inprimis adhuc de Marcello est, quod quidem in synodo Constantinopoli anno *CCCXXXVI.* coacta, dogmata eius damnata fuerint; synodus autem Sardiensis an. *CCCLXVII.* habita, illum oblato de fide sermone apologetico, prorsus absoluerit; quoniam mala fide egit, patribus fucum fecit, et se problematice tantum locutum esse, verbaque sua pariter ab Eusebianis non recte intellecta fuisse, professus est. Larua tamen detracta, hæretici notam ab omnibus catholicis, et Athanasio ipso, amico suo intimo, iniustam tulit. Ipse omnino BARONIVS *tom. III. annal. eccles. ad ann. 347.* confitetur, quod Marcellus in Sabellii hæresim impegerit, Iulioque pontifici Romano patribusque concilii Sardiensis fucum fecerit. Quæ vero in Marcelli gratiam dici

dici possunt, videat lector apud R. MONTACVTIVM
not. in Euseb. aduersus Marcell. NATAL. ALEXANDR.
in histor. eccles. tom. IV. secul. IV. diff. XXX. p. 362. sqq.

§. VIII.

Inter alios Marcelli discipulos atro carbone notan-
dus est Photinus, episcopus Sirmiensis, qui an. CCCXLIV.
et sequentibus errores suos disseminauit. PHILASTRIVS,
cum in suo hæreticorum catalogo de Paulo Samosateno
egit, statim Photinum subiungit, quem eius doctrinam
fecutus in omnibus, dicit. EPIPHANIVS autem
hæres. LXXI. Photinum non similia tantum, sed atrociora
etiam, quam Samosatenum docuisse, scribit. Deum solita-
rium esse et more iudaico confitendum, effutiit, nullam verbi
diuini aut spiritus sancti putans esse personam, sed vnam esse
patris, et filii, et spiritus sancti operationem prædicans, vti
ex SOCRATE lib. II. cap. 14. videndum. Christum
Φιλέν ἀνθρώπου et ex Maria initium habuisse docuit, ex
quo in ipsam superuenit spiritus sanctus, inde humun-
cionista VIGILIO TAPSENSI dictus, eiusque sequa-
ces homuncionistæ AVGVSTINO. De spiritu sancto
somniauit, eum non subsistentiam a subsistentia patris
realiter distinctam esse, sed solum virtutem dei intrinse-
canti SOZOMEN. l. c. lib. IV. cap. 6. et SANDIVS in
nucleo histor. eccles. p. 116. ITTIGIVS autem in histo-
ria Photini ita scribit: vt filii, sic etiam spiritus sancti diui-
nitatem negauit Photinus. Vnde Augustinus in epist. 50. ad
Bonifacium: Photinum omnino negare, aliquam esse spiritus
sancti substantiam, sed vnum tantum esse deum patrem, docere.
Idem asserit sermon. de verbo euang. Matth. XII. vbi
ait, quod Photiniani solum patrem dicant esse deum, filium
non nisi hominem, tertiam autem personam, spiritum san-
ctum omnino esse negent. Et quamuis Photinus secundum

auctorem *predestinati* cap. 45. spiritum sanctum semper fuisse, memorauerit, dubio tamen procul, sub nomine spiritus sancti, non tertiam diuinitatis personam, sed forte extensionem aliquam extensionis intellexit, quod a præceptore suo Marcello didicerat. Iam laudatus ITTIGIVS *l.c.* monet, quod Photinum nonnulli veterum cum Artemone conferant. Nam auctor *predestinati* a SIRMONDO editus *lib. II. heres. 44.* perinde esse dicit, siue quis Artemonidas, siue Paulianos, siue Photinianos audiat. Intelligit autem per Paulianos Pauli Samosatani adsecelas. Photinianos *Bonsiagos* etiam vocari, in GENNADII *lib. de scriptoribus eccles. cap. 14.* legimus. Lectu dignissima sunt, quæ in genere de Photino ITTIGIVS conscripsit in *histor. Photini*, cui adiungendus FABRICIVS in *bibliothec. græc. vol. VIII. p. 314. sq.* ubi inprimis de synodis, in quibus Photini hæresis damnata fuit, agitur. Plura doctorum de hæresi Photini scripta, WALCHIVS in *introduc. in controu. relig. extra eccles. Luther. part. IV. p. 15.* allegat.

§. IX.

Per omnia quidem sæcula hoc pestiferum Samosatani et Photiniani virus propagatum est, et SANDIVS, dum in *nucleo histor. eccles.* Arii causam agit, passim testimonia de multis Samosatani et Photini successoribus spargit; sed maiora incrementa cepit nefanda hæc hæresis, et caput extulit, cum illam *Neo-Samosatani* et *Neo-Photiniani*, hoc est, *Sociniani*, quorum auctores et duces vterque *Socinus, Lælius* et *Faustus* fuerent, ex ore renouerunt, et in hunc vsque diem multis in locis, Britannia præsertim, ex omnibus ingenii viribus defendere ac stabilire student. De Socinianorum autem historia et dogmatibus in genere, adeo copiosa

et

et vberissima extant scripta, vt crambem centies recoctam adponerem, si de illa hic multa verba facere vellem. Fusissime, incomparabili ordine et profunda eruditione pertractata res est, in WALCHII *introduc. in controuers. relig. extra eccles. Luther. part. IV.* Interim tamen instituti mei postulat ratio, et lectori haud ingratum fore confido, si ex fontibus ipsis illam, quam Sociniani de trinitate fouent sententiam proferam ac demonstrem; ex quo clare elucebit, quod illis Neo-Samosatenianorum ac Neo-Photinianorum cognomen, iure meritoque tribuatur. In *catechismo Racouensi*, qui liber illis quasi symbolicus est, *cap. 1. p. 15.* doctrina Socinianorum de deo, sic exponitur: *precipuum est, ne in communem errorem incidamus, quo manifesta contradictione vna deo essentia esse statuitur, ceterum non vniam, sed tres illius personas. Et p. 16. in vna dei essentia vniam tantum esse personam, hoc sane vel hinc patere potest, quod essentia dei sit vna non specie, sed numero, quapropter plures numero persone in ea esse nullo pacto possunt; cum persona nihil aliud sit, nisi essentia indiuidua intelligens.* Proinde tribus numeratis personis tres essentias indiuiduas eodem modo numerari necesse sit, vt quomodo vna numero dicatur esse essentia, eodem modo et numero dicenda sit esse persona. De spiritu sancto speciatim dicitur: *spiritus sanctus est virtus seu efficacia a deo in homines manans usque communicata, qua eos ab aliis segregat et suis vobis consecrat; p. 134.* FAVSTVS SOCINVS in tractatu suo de deo, christo, et spiritu sancto ita scribit: *ex eo solo, quod deus vnus esse aperte traditur, merito concludi potest, eum non esse trinum, nec binum: opposita enim sunt inter se vnus et trinus, siue vnus et binus; ita vt si deus sit trinus aut binus, non possit esse vnus. Nam distinctio ista vnus essentia et trinus personis, nec vsquam extat in sacris litteris,*

litteris, et cum certissima ratione et veritate manifeste pugnat. Certissimum enim est, non pauciores esse individuas essentias, quam personas, cum persona nihil aliud sit, quam individua essentia intelligens; tom. I. operum eius p. 811. De spiritu sancto ita loquitur: spiritus sanctus virtus est et efficacia dei, sed non propterea dei virtus et efficacia est persona aliqua diuina, sicut nec dei bonitas, aut iustitia, aut misericordia, aut iudicium aliique dei proprietates vel effectus sunt persone aliqua diuine. Alioqui multo plures, quam tres eas esse oporteret; ibid. In fallaci vero fidei confessione, quam nonnulli ex Socinianis vel vnitarianis, vt audire malunt, an. MDCXVI. Berolini ediderunt et disperserunt, sic mentem exponunt: de spiritu sancto, qui in deo ab aeternitate omni in aeternum manet et ab illo procedit, credimus, quod sit virtus altissimi et noster paracletus; cuius instinctu oramus, et per cuius regeneramus operationem. Hic spiritus sanctus, quem pater filio suo sine mensura dedit, nobis donatur per filium, vt dominum et pignus aeternae hereditatis nostrae, vt omnia bona opera in nobis operetur et in omnem ducat veritatem. Plura qui legere cupit, FAUSTVM SOCINVM in institutionibus christiane religionis: CRELLIVM de vno deo patre: WOLZOGENIVM in declaratione duarum contrariarum sententiarum de natura et essentia vnus dei altissimi, aliosque plures adeat. Obseruandum autem est, quod Sociniani, quamuis omnes spiritum sanctum virtutem dei praedicent, tamen in diuersas abeant partes, quando quaeritur: qualis virtus sit? quidam dicunt spiritum sanctum donum et operationem dei in hominibus, alii proprietatem dei essentialem esse, alii vtrumque coniungunt: vid. SMALCIVS in refutat. disput. Alberti Graweri de spirit. sanct. VOLKELIVS de vera religione, lib. v. cap. 14. CRELLIUS de spiritu

spiritu sancto, cap. I. Longe lateque diffusa est hæc Socinianorum hæresis, et multos habuit Socinus sectatores et adsecras, qui dogmata magistri verbis et scriptis propugnarunt. Præcipui sunt WOLZOGENIVS, CHRISTOPHORVS OSTORODVS, PETRVS STATORIVS, VALENTINVS SMALCIVS, IOANNES CRELLIVS, STANISLAVS et CHRISTOPHORVS LVBIENIECII, IONAS SCHLICHTINGIVS, PETRVS MOSCOROVIVS, SAMVEL PRZIPCIVS, WISSOWATIVS, IOANNES VOLKELIVS, CRELLIVS iunior sub nomine ARTEMONII aliique: conf. SANDII *bibliotheca anti-trinitariorum*: BVDDEI *isagoge historico-theologica*: WALCHII *introduc. in controu. relig. extra eccles. Luther. part. IV.* aliique a iam laudato auctore citati, præsertim eiusdem *dissertatio theologico-historica de Samosatenianis neotericis*. Et cum multiplici propagine hoc lolium in prouincias Batauas et Britanniam dispersum fuerit, legi merentur, quæ BENTHEMIVS in *statu eccles. Angl. et Batauo de Socinianis* conscripsit. Multi etiam ex Arminianorum grege, vt CONRADVS VORSTIVS, ADOLPHVS VENATOR, HENR. WELSING, IOANNES GEISTERANVS et DANIEL BRENIVS in Socinianorum castris militarunt, qui tamen ob crassissimos illorum errores, ab Arminianis non habentur fratres. HVGONEM GROTIVM pariter ad castra Socinianorum transiisse, multorum doctorum sententia est. Epistola eiusdem ad Crellium suspicionem omnino mouet quamdam, in qua scribit: *vt gratias tibi hisce agam litteris, quod multa me docueris partim iucunda scitu, partim utilia, meque exemplo tuo excitaueris ad penitius expendendum sensum sacrorum librorum.* Interim tamen a multis etiam defenditur, et

C

aliõ

alio specimine publico, se Socinianæ doctrinæ addictum fuisse, neutiquam probavit. Verum, et Arminianos seu Remonstrantes ipsos in articulo de trinitate recte haud sentire, magis tamen cum Arianis, quam Socinianis eos conspirare, sectione III. videbimus.

SECTIO SECVNDA

§. X.

ALTERA diuinitatis spiritus sancti hostium classis illorum est, qui quidem, ac si tres in deitate personas statuunt, dum nomina patris, filii et spiritus sancti admittunt, speciem præ se ferre videntur; reale autem personarum in diuinitate discrimen tollunt, et vnus diuinitatis personæ tria esse nomina, tres virtutes, qualitates, potentias profitentur. A Sabellio, hæreseos huius facile principe, Sabelliani vocantur, et diuiduntur in veteres et novos.

§. XI.

Inter veteres Sabellianos primo loco ponendus est *Simon magus*, quem plerique in fronte omnium hæreticorum ponere solent. Sabelliani autem nomen meretur iste, quod Sabellianæ hæreseos fere auctor et origo extitit. Dum enim se ipsum summum esse deum, impudentissimus impostor gloriatus est, personarum in trinitate discrimen eo ipso negauit. **HIERONYMO** enim teste, de se ipso dixit: *ego sum sermo dei, ego speciosus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia dei*, tom. IX. operum edit. Basil. p. 35. **IRENAEVS** de eo refert lib. I. aduers. hæres. cap. 20. quod de se ipso dixerit: *se in Samaria ut patrem descendisse, in Iudæa ut filium, reliquis gentibus ut spiritum sanctum adparuisse.* Et **AUGVSTI-**
NVS

NVS de heres. cap. i. se in monte Sina legem Moſis in patris persona dediffe iudeis, tempore Tiberii putatiue in filii persona adparuiſſe, poſtea ſe in linguis igneis ſpiritum ſanctum in apoſtolos veniſſe. **BASNAGIVS** tamen in *annalibus, tom. i. p. 876.* quatuor argumentis euincere conatus eſt, quod **Simon magus** pro ſummo deo ſe neutiquam venditauerit; ſed tantum pro diuino viro et meſſia oſtentauerit, cum quo **ARNOLDVS** in *hiſtor. eccleſ.* conſentit; vterque autem ab **ITTIGIO** in *hiſtor. eccleſ. ſecul. i.* reſutatus et caſtigatus eſt: vid. etiam **BVD-DEVS** in *eccleſia ſua apoſtolica.* Adde execrabilem **Simonis** magi blaſphemiam, quod, **EPIPHANIO** teſte, ſcortum ſuum **Helenam** ſpiritum ſanctum eſſe, adfirmare non erubuerit. Iungendus **Simoni** in hoc puncto **Menander** diſcipulus eſſet, qui ſe eſſe dicebat, quidquid **Simon** ſe eſſe dixerat, ſi, cum inter eruditos hac de re liſ intercedat, certi aliquid ponere liceret: vid. **ITTIGII diſſert. de heresiarchis, cap. v. p. 54.**

§. XII.

Sæculo ſecundo vero nonnulli omnino inclaruerunt, qui in errorem, cuius **Sabellius** propugnator acerrimus fuit, prolapſi ſunt. **Valentinum** enim gnoſtico-rum principem, qui circa annum **CXLI.** floruit, in doctrina de deo cum **Sabellio** conſpiraffe, ex **IUSTINI martyris dialog. cum Tryphone,** quidam colligunt. **ATHANASIVS** libr. *de incarnatione chriſti eiusdemque ſalutari aduentu* de **Valentino** dicit, docuiſſe illum, *totam trinitatem carnem geſſiſſe et paſſam eſſe.* Videbimus autem paulo infra, **Sabellianos** etiam **patri-paſſianos** nominari. In *epiſt. ad Serapionem p. 185.* idem ſcribit **ATHANASIVS:** *Valentinus dixit, miſſo paracleto miſſos eſſe angelos, qui ipſi*

erant coetanei; nec non TERTULLIANVS contra Prae-
 seam, cap. I. heresim intulit, paracletum fugavit, et patrem
 crucifixit. Valentinianos autem Sabellianis praeluisse,
 pra aliis WORMIUS in *historia Sabelliana* notat cap. II.
 §. 5. 6. 7. ubi operose vtriusque haereos collationem
 instituit. De triginta aonibus celeberrima inprimis
 seductoris huius sententia fuit, ex qua elucet, quod non
 solum cum Manichæis senserit, cum materiam deo co-
 æquam arbitratur, cuius ex fecibus mala in homines dif-
 fluerent; sed etiam totum trinitatis mysterium euerte-
 rit. Inter veteres historicos de Valentino et contra il-
 lum scripserunt IVSTINVS, IRENAEVS, CLEMENS
Alexandrinus, ORIGENES, EPIPHANIVS aliique
 plures. Inter recentiores autem notandi sunt NATA-
 LIS ALEX. *histor. eccles. secul. II. cap. III. artic. VI.*
 BYDDEVS *diff. de haeres. Valentiniana*: ARNOLDVS in *der*
Kirchen- und Ketzer-Historie, part. I. lib. II. cap. IV. nec non
 SAM. BASNAGII *annal. tom. II. p. 55. sqq.* ubi aonum
 nomina, feriem et explicationem, praesertim christi, vt
 et spiritus sancti ex vnigenito fictam Valentini produ-
 ctionem inueniet lector. Legi etiam meretur ITTI-
 GII *differt. de haeresiarchis, sect. II. cap. V. p. 116. sqq.* et
 in *append. ad differt. sect. II. cap. V. p. 40. sqq.* Multos
 habuit Valentinus sectatores et adseclos, quos citati iam
 scriptores recensent. Praecipui fuere *Bardesanes, Mar-*
cus, Heracleon, Ptolomeus, Colarbasus, ab aliis *Colobarsus,*
Secundus, Bassus, Florinus, Blasus, aliique plures. Qui
 omnes magistri absurdas et impias vel propagarunt et
 amplificarunt; vel alio modo exposuerunt fabulas. De
 Heracleone quidem eiusque sectatoribus SANDIVS
 notat, Heracleonem, ORIGENE teste, voce *ἰσοσθής*
 expressa in scriptis suis vsu, et dixisse: *dei cultores et*
deum

deum ipsum esse *quosdam*, vnde etiam elucescat, eo magis eum filium et spiritum patri *quosdam* statuisse, sed in ea significatione, qua hæc vox ab Ario sumta est, etiam Heracleon, saluo errore suo, illa vti potuit. De Colarbaso autem memorat idem SANDIVS, quod *unum deum credere videri voluerit diuersis nominibus adpellatum, patrem videlicet, cum cogitat, veritatem, cum patefactus est; hominem in his terris*, quod etiam Ptolomæo, Secundi successor, tribuit in *nucleo histor. eccles. p. 75.*

§. XIII.

De *Cerdonis et Marcionis*, in doctrina de deo et trinitate sententia, non vna eademque scriptorum ecclesiasticorum est ratio. Si enim SANDIO credendum, et ea, quæ allegat ex scriptoribus, sic se haberent, alii vnum principium fatebantur, alii duo, alii tria, vel tres deos. Hinc vel *Duitarum* nomen sortiti sunt, et Manichæorum error de duplici principio illis merito imputatur; vel tritheismi reos illos faciunt alii. Cum autem tres illi dii, ab illis deus iudæorum, deus christianorum et deus gentilium, id est, pater, filius et spiritus sanctus adpellantur, secundum illud Simonis, qui dixit, se esse deum, qui in Samaria descenderit quasi pater, iudæis quasi spiritus sanctus aduentauerit, ad Sabellii hæresin proxime accedere Marcionitas vero simile est. Ex qua aliisque caussis orthodoxi baptismum Marcionitarum pro primo et valido non habebant, et THEODORETUS *epistol. cXLV.* scribit, quod decem millia Marcionitarum ad fidem adduxerit et baptizauerit. Ex quo NATALIS ALEXANDER colligit, Marcionitas baptismum non eo, quo christus instituit modo, peregrisse. AVGVSTINVS quidem *de baptismo contra Donatistas;*

cap. 15. Marcionis baptismum se pro integro sacramento habiturum pronuntiat, si euangelicis verbis in nomine patris, filii et spiritus sancti conferretur; hinc autem sequitur, Augustinum nihil in baptismo Marcionitarum desiderasse, quam quod hæc verba non adhibuerint, et personarum in vna dei essentia trinitatem negauerint: conf. ITTIGII *dissert. de hæresarchis, sect. II. cap. VII. p. 127. sqq.* et in *appendice ad hanc diss. p. 64. sqq.* nec non NATAL. ALEX. *dissertat. de Marcione, quæ tom. III. histor. eccles. p. 323. extat.*

§. XIV.

Excipiunt Marcionem, *Montanus*, ex Ardabam Myssiæ vicò, Phrygiæ contermino oriundus, qui circa annum CLXXII. nouam sectam condidit, et *Montanistæ* eius adsectæ, qui etiam *Phryges*, *Cataphryges*, *Pepuziani* et *Montenses* vocantur. In diuersas docti abeunt partes, si de doctrina Montani de trinitate disputatur. Nonnulli enim recte eum cum catholicis sensisse, præbant, alii rursus in errorem, quem postea Sabellius amplexus est, incidisse contendunt. In hac controuersia historica, distinguendam esse puto Montani et sectatorum ipsius sententiam. Montanum ipsum quod attinet, SOCRATES *lib. I. histor. eccles. cap. 23.* et SOZOMENVS *lib. II. cap. 8.* cum Sabellio illum omnino coniungunt. Similiter quidam EPIPHANIVM *hæres. 48.* Montano tribuere putant, quod se esse deum patrem dixerit. Si CYRILLO *Hierosolymitano in cateches. 16.* credendum, Montanus paraclæti; seu spiritum sanctum se esse iactauit, tantumque obtinuit, vt EVSEBIO *lib. V. histor. eccles. cap. 14.* et BASILIO M. *ep. can. ad Amphiloebium, can. I.* et GREGORIO M. *lib. IX. ep. 61.* testibus. Cataphryges ipsum paraclæti esse dicerent. Alii confirmant, Montanum

tanum de trinitate recte sensisse. Siquidem ipse EPIPHANIVS testatur *heres. 48. Montanistæ de patre, filio et spiritu sancto eadem cum ecclesia catholica sentiunt.* Sic etiam TERTVLLIANVS cum Montanum a paracleto distinguat: verisimile non est, quod Montanus, se spiritum sanctum esse, gloriatus fuerit, vel quod ab adfectis suis pro ipso spiritu sancto habitus fuerit; accedit, quod scriptores Montano coævii, huius hæreseos Montani non meminerint. SANDIVS autem scribit: *ratio diuersarum sententiarum est, quod Montanus abuti potuerit omnibus catholicorum loquendi modis in sensu Sabelliano, quod variis deinde argumentis et exemplis probat, in nucleo histor. eccles. p. 68.* Montanum defendebunt PETAVIVS *lib. I. de trinitate, cap. 6. thes. 5.* BVLIVS *defens. fid. Nic. p. 65.* NATALIS ALEXANDER *dissert. de Montani fide circa mysterium sanctissimæ trinitatis, tom. III. histor. eccles. p. 327. sqq.* Rectius tamen ille error discipulis quibusdam Montani, quam ipsi Montano tribuitur a THEODORETO *de heret. fab. lib. III. cap. 2.* Non obstat, quod TERTVLLIANVS ipse Montanistarum errorem de vna deitatis persona in Praxea confutauerit: de nonnullis enim tantum Montani discipulis sermo est: vid. ITTIGIVS *in hist. eccles. secul. II. p. 335.* et supra laudatus NATALIS ALEX. *l. c.* scribit: *non abnuo denique, quin aliqui Montanistæ degeneres de trinitate male senserint, et baptismum in nomine trium personarum non contulerint. Sed nego, hunc fuisse Montani purorumque Montanistarum errorem. Certe non idem semper fuit omnium hæresum status. Sepe magistrorum erroribus discipuli novos errores addiderunt.* BARONIVS *ad ann. 173.* vult, Montanistas *nata Aeschinem cum Sabellio sensisse, nata Proclum vero in trinitate cum catholicis,*

tholicis; et consentit BASNAGIVS in *annal. tom. II. p. 146. certum est*, inquit, *veram Montani progeniem trinitatis fuisse tenacissimam, quod ex Tertulliani libro aduersus Psychicos abunde liquet. Permiscuit ergo Hieronymus duas Cataphrygum sectas, quas accurate distinguit auctor additamentorum ad Tertulliani de prescriptionibus librum. Accesserunt alii heretici, qui dicuntur secundum Phryges, sed horum non una doctrina est; sunt enim qui *κατὰ* Proclum dicuntur, sunt, qui secundum Aeschinem pronuntiantur.*

§. XV.

Praxeas vero, qui circa finem sæculi secundi hæresi sua inclaruit, aperte dixit et publice docuit: *patrem, filium et spiritum sanctum unam eandemque esse personam, et trinitatem in nominibus, haud vero in personis admittebat; dicebat, patri competere, quæ filio tribuuntur, patrem natum, patrem crucifixum esse, quapropter Praxeæ et Noeti adieclæ patri-passiani et Theopaschite audiunt. SANDIVS in nucleo histor. eccles. p. 93. scribit: Praxeas Montanista *κατὰ* Proclum in articulo de deo et trinitate sententius est sententiam Montani; ex quo sequeretur, aut Montanum Sabellianum; aut Praxeam orthodoxum fuisse. In eadem cum Sandio BARONIUS est sententia in *annal. ad ann. 195. Praxeam primo fuisse Montani sectatorem, dicens ex eorumque numero, qui dicebantur *κατὰ* Proclum, item NATAL. ALEX. histor. eccles. tom. III. p. 589. BASNAGIVS vero recte monet in *annal. tom. II. p. 207. Praxeæ impietati Cataphrygum illi adhaerebantur, qui Aeschinem sequebantur: priuatam autem blasphemiam illi, qui *κατὰ* sunt Aeschinem, Tertulliano de prescriptionibus cap. 52. teste, hanc habent, ut dicant, christum ipsum esse filium et patrem. Nihil ergo pugnae est; aut contradictionis, quod Praxeæ affricans se Aeschines partem***

Monta-

*Montanistarum corruerit. Nostro tamen iudicio Baronius ex Paciano colligere non debuit, Praxeam primo fuisse Montani sectatorem natam Proclum. Hanc quippe mutationem, perinde ac Pontifici Rom. Tertullianus obieciisset. Non ex Montanistis Praxeas vnus fuit, quibus infensissimum se prae-buit; sed Montanistarum pars adhaesit Praxeae, errore eius suscepto: confer. prā omnibus aliis scriptoribus de Praxeae TERTVLLIANVS, qui illum peculiari libro confutauit. Beryllum Bostrensem, in Arabia episcopum, discipulum Praxeae fuisse, et magistri dogmata impia imbibisse, secundum quae seruator noster non propriam; sed paternam diuinitatem in se residentem habuerit, ex EVSEBII *hist. eccl. lib. VI. cap. 33.* liquet; synodum vero quamdam in Bostra circa ann. CCLXVII. contra illum celebratam fuisse; nec non Origenem cum Beryllo in certamen descendisse, et ad fidem catholicam illum reuocasse, EVSEBIVS itidem auctor est.*

§. XVI.

In eodem saeculo Noetus successit, et Praxeae errorem in iis maxime locis, vbi Praxeas ignotus erat, propagauit. Asia oriundus erat Noetus, et EPIPHANIVS Ephesinum; THEODORETVS autem Smyrnensem fuisse, tradit. Vnam tantum *ὑποστάσιον* diuinam docuit; personarum vero trinitatem adeo negauit, vt illi christus pater, filius et spiritus sanctus fuerit: pater, qui in veteri testamento legem promulgauit, filius, qui in nouo foedere incarnatus fuit, et spiritus sanctus, qui super apostolos venit. Trinitatem non in personis; sed in nominibus consistere adfirmavit, ideoque patri competere, quod de filio dicitur, imo patrem passum et crucifixum esse, quapropter Noetiani sub *patri-passianorum* nomine apud auctores ecclesiasticos veniunt: vid. de

D

Noeto

Noeto: EPIPHANIVS in *anacephal. cap. II.* AVGVSTI-
 NVS de *heres. cap. 41.* PHILASTRIVS de *heres. cap.*
 53. THEODORETVS *heret. fabul. lib. III.* vbi duo-
 rum etiam Noeti antecessorum in errore mentio fit se-
 quentibus verbis: *renouavit heresin, quam quidam Epi-*
gonius nomine primus peperit; Cleomenes autem acceptam
confirmavit. Multo plures autem Noetum habuisse an-
 tesignanos, ex his, quæ iam dicta sunt, luculenter pa-
 ter: meritoque Sabellianæ hæreseos historia ad primam
 usque ecclesiæ ætatem extenditur.

§ XVII
 Ipse nunc in censum venit, Sabellius, in Lybia Pto-
 lomaide natus, et Pentapolis episcopus, Noeti discipu-
 lus, qui nomine suo et patrocinio hæresin, de qua agi-
 mus, circa ann. CCLVII. celebriorem fecit. Genui-
 num fuisse Noeti discipulum, diserte THEODORETVS
 pronuntiat: *Sabellius vnã hypostasin esse dixit, patrem,*
filium et spiritum sanctum, et vnã trinominem personam;
heret. fab. lib. II. cap. 9. EPIPHANIVS *heres. 62.* hæ-
 resin Sabellii sic explicat: *Horum, inquit, hæc opinio est,*
eundem esse patrem, filium et spiritum sanctum, vt ad eam-
dem hypostasin tres adpellationes conueniant. Aut perinde
atque in vno homine corpus et anima et spiritus inest; ita
et corporis instar sit pater, anime filius, spiritus denique in
ipsa diuinitate humani spiritus instar habeatur. Similitu-
 dine solis errorem suum in crustare solebat. Sicuti enim
 in sole reperitur illuminandi vis quædam, calefaciendi
 et rotunda figura; siue corpus ipsum solare; sic vim il-
 lam calefaciendi, hoc est, calorem et æstum responde-
 re spiritui sancto, illuminandi vim filio, patrem deni-
 que totius hypostaseos velut quædam esse formam nu-
 gabatur. Filium proinde radii instar certo emissum
 tempo.

tempore, peractis omnibus, quæ ad euangelii et humane salutis procuracionem pertinerent, in cælum rediisse, sicut radius a sole diffusus in eundem refunditur. Spiritum vero sanctum identidem in pectora illabi fidelium, ut ea suo feruore succendat, in iisque spiritualem vitam instauret; vid. NATALIS ALEX. *histor. ecclesi. tom. III. p. 589.* et CAVEI *antiquit. patrum, part. II. p. 663.* Ex quibus elucet, vnam Noetianorum et Sabellianorum esse hæresin; vel, ut AVGVSTINVS de *heres. cap. XLI.* scribit: Sabellianos et Noetianos vnius hereseos esse nomina. Unde porro sequitur, ut recte omnino Sabelliani patri-passiani vocentur. EPIPHANIUS quidem Sabellianos a Noetianis in eo discrepasse, scripsit, quod patrem passum esse, inficias irent in *ancephal. tom. II. p. 146.* sed refellit Epiphanium AVGVSTINVS de *heres. cap. XLI.* confirmans, quod patri-passiani crebrius, quam Sabelliani nuncupentur. Hanc repudiat quoque differentiam PHILASTRIUS de *heres. cap. 54.* Sabellius post illum de Lybia discipulus eius (Noeti) suum doctorem itidem secutus est et errorem, unde et Sabelliani postea sunt adpellati, qui et patri-passiani et Praxeani a Praxea. Similiter ATHANASIVS de *synod. tom. I.* Sabelliani dicti sunt quidam heretici, qui vocantur patri-passiani, qui dicunt etiam, patrem passum esse. Refutatur quoque Epiphanius ex MARIO MERCATORE, auctore sancti Augustini cœuor. Post hæc inquit, Sabellius monarchiam se in diuinitatis substantia retinere debere putantes, nefando errore decepti, ausi sunt deum patrem ipsum sibi filium, ipsum sibi esse patrem, ipsum sibi spiritum sanctum, ipsum incarnatum, passum et crucifixum; oper. pag. 166. ex editione BALVZII. Legenda, quæ IO. FRANC. BYDDEYS de hac discrepantia monet in

theol. dogm. lib. II. cap. I. p. 414. seq. nec non WALCHIVS in introduct. in controuers. relig. extra eccles. Luther. part. IV. p. 22. sq. vbi optimos, qui Sabellii historiam pertractarunt, scriptores recentiores citatos inueniet lector. Inter veteres THEODORETVS, AVGVSTINVS et PHILASTRIVS consulendi, nec non BASILII homil. 27. contra Sabellianos, Arianos et Anomæos, et ATHANASII oratio contra Sabellium legi merentur. Quod Sabelliani itidem Monarchiani et Vnionite vocentur, ex TERTVLLIANO et PRVDENTIO BYDDEVS l. c. obseruat. In concilio autem Alexandrino damnatam esse Sabellii sententiam, in libello synodico legimus.

§. XVIII.

A Sabellianorum hæresi et Manicheismum haud procul abesse, dubio caret. Id constat ex Fausto Manicheo apud AVGVSTINVM lib. XX. contra ipsum edito cap. 2. Igitur nos, inquit, patris quidem omnipotentis et christi filii eius et spiritus sancti, vnum idemque sub triplici adpellatione colimus numen: vid. plura in NATAL. ALEX. histor. eccles. tom. III. p. 593. item in WOLFII Manicheismo ante Manichæos. CALVOER autem in fissuris Sionis lib. III. cap. 7. p. 184. indicat: errasse etiam Manetem circa mysterium trinitatis, quando se ipsum paracletum a christo promissum dixerit. Medii æui temporibus, ante ann. MDXVIII. nimirum, ex Paullicianorum, nouorum Manichæorum et Messalianorum deliriis conflata, exorta est Bogomilorum hæresis, cuius nefariæ sectæ princeps Basilii medicus, habiu monachus fuit: in Sabellii enim errorem impegisse, ex NATAL. ALEXANDRO histor. eccles. tom. VI. p. 479. patet. Sic enim de illis scribit: *Simplicibus faciem faciebant dicendo, se*

se credere in patrem, et filium, et spiritum sanctum; sed reuera patri hæc tria nomina tribuebant, eumque corporea forma præditum, ex binis cerebri panniculis binos radios emittente, alterum filii, alterum spiritus sancti, delirabant, filium et spiritum sanctum in patrem rursus resolui, et qui a multis retro sæculis tres personæ fuerat, rursus vnã factam esse personam. Ex qua tamen recensitione, ad Tritheitas non minus pertinere hos hæreticos, aliquatenus colligere licet. Similis est ratio de Roscelino, quem BARONIVS ad an. MXCIV. ad Sabellianorum; SANDIVS autem in *hisor. eccles.* p. 358. ad Arianorum classẽ refert. Magis autem Tritheitarum errorem fouisse, ex ANSELMO, qui contra illum scripsit, et ABAELARDO, eius discipulo, nouimus. Tres enim deitatis personas tres res esse, secundum ANSELMVM dixit, cuius hæc de Roscelini sententia est ratio: quod ergo dicit, tres personas tres res, aut vult intelligi secundum tres relationes, id est, secundum quod deus dicitur pater et filius et a patre et filio procedens spiritus sanctus, aut secundum id, quod deus dicitur. Sed si ipsas tres relationes dicit tres res esse, superflue hoc dicit: nullus enim negat, hoc modo tres personas esse tres res. Sic tamen vt diligenter intelligatur, quomodo ipse relationes dicantur res, et eiusmodi res, etsi aliquid faciunt eadem relationes circa substantiam, quem ad modum multa accidentia, an non. Quamuis videatur, non intelligere hoc modo tres res, quam dicit, ex eo, quia subiungit, trium personarum vnã esse voluntatem; aut potestatem. Nam tres istæ personæ non habent voluntatem; aut potestatem secundum relationes, sed secundum hoc, quod vnaquæque persona deus est. Quod si dicit, tres personas esse tres res, secundum quod vnaquæque persona est deus: aut tres deos vult constituere; aut non intelligit, quod dicit; *epist. xxxv. lib. ii. Ex-*

preſſe vero ABÆLARDVS de illo ſcribit, quod tres deos confiteatur: vid. NATALIS ALEX. l. c. nec non WALCHIVS in *introducſ. in controuerſ. relig. extra eccleſ. Luther. part. IV. p. 24.* Multa præterea de variis Waldenſium ſectis laudatus iam NATALIS ALEX. l. c. p. 494. ſqq. annotauit, quæ illos Sabellianæ hæreſeos reos faciunt, ſicuti de *Ortilebenſibus* ſcribit, quod *ante chriſti natiuitatem trinitatem fuiſſe negauerint*, ſed plura legere cupiens, auctorem adeat.

§. XIX.

Ex orco recentioribus temporibus reuocata eſt nefanda Sabellii hæreſis, a *Michaele Serueto*, cuius fata, ſcripta et vitæ memorabilia inter alios plures, quos ipſe recenſet, ſcriptores, celeberrimus abbas Mariaualleniſis, MOSHEMIVS in doctiſſima diſſert. Helmſtadii ann. MDCCXXVII. habita, profunda, qua excellit, eruditione peregit. Ad Samofatenianorum et Photiniano- rum claſſem a quibusdam viris doctis refertur. SANDIVS in *bibliotheca anti-trinitariorum* p. 9. ſcribit: *fuit Seruetus eiſdem fere opinionis, quam olim Paulus Samofatenus, Photinus et illorum adſecle ac homodoxi (vt patres nonnullos, qui eadem docuerunt, mittam) fouerunt; nimirum quod diſtinctionem fecerit inter ieſum chriſtum filium dei, et verbum illud, de quo ſanctus Ioannes in euangelii ſui initio agit.* Et in *hiſtoria ſua eccleſ. p. 120.* Michaelem Seruetum Hiſpanum eadem docuiſſe cum Paulo Samofateno et Photino, vulgata eſt opinio. In eandem ingreſſus eſt ſententiam WALCHIVS in *introducſ. in controuerſ. relig. extra eccleſ. Luther. part. IV. p. 39.* quam fuſius in diſſert. de Samofatenianis neotericis exponit, et probat. Interim SANDIVS l. c. adponit: *et ſimul eadem docuiſſe cum Sabellio, probauere Caluinus, Bellarminus, Petauius et alii.* In *biblioth.*

biblioth. antitrin. ibid. l. c. monet, Seruetum in eo, quod de λόγῳ docet, a Socino eiusque adseclis (et per consequens a Paulo Samofateno et Photino) discrepat; quod etiam SOCINVS ipse in *responsione ad libellum Vuiecki cap. I.* aperte profitetur. B. BVDDEVS Seruetum in Sabellianorum ordinem posuit, ac in dialogorum de trinitate libris duobus, itemque de trinitatis erroribus libris septem, ita passim hac de re illum loqui dicit, vt haud procul a Sabellianismo quandoque abesse videatur, *theolog. dogmat. lib. II. cap. I. p. 415.* ad cuius doctissimi viri ductum, in Sabellianorum illum retulimus classem.

§. XX.

Sed mitto hanc controuersiam et ad rem ipsam me conuerto. Notanda veniunt, partim quæ Seruetus de trinitate in genere, partim et in specie, quæ de spiritu sancto docet, et ex præcipuis scriptis illius eruenda sunt. Scripsit autem 1) *libros septem de trinitatis erroribus anno MDXXXI.* 2) *dialogorum de trinitate lib. II. de iustitia regni, capitula quatuor ann. MDXXXII.* 3) *christianismi restitutionem ann. MDLIII.* quem rarissimum librum inspicere mihi haud licuit; cuius autem potiora momenta in *biblioth. Bremens. clas. I. fascic. 5. p. 739.* in MOSHEMII *historica dissert. de Serueto p. 205.* recensentur, nec non ex triginta octo propositionibus, quas CALVINVS ex hoc Serueti libro, iussu magistratus Geneuensis excerptis, et quæ in *opusculis CALVINI theol. p. 707.* leguntur. Adde 4) eiusdem *de vera dei et filii eius cognitione, sermonem*, antequam Geneuæ combureretur, in STANISLAI LVBIENIECII *histor. reform. Polon. lib. II. cap. V. p. 99 - 105.* ex autographo desumptum, quem quoque sermonem MOSHEMIVS *dissert. iam cit.*

cit. inferuit. Ex his scriptis exponamus primo, quam Serueti de trinitate in genere sententia sit. In *libr. 1.* de trinitatis erroribus christum merum esse hominem, probare conatur, deinde de spiritu sancto agit, et p. 21. de totius trinitatis mysterio mentem exponit sequenti modo: *Tertiam rem absolutam ab aliis duabus vere et realiter distinctam, adiuenerunt philosophi, quam tertiam personam; seu spiritum sanctum adpellant, et sic trinitatem imaginariam, tres res in una natura machinati sunt. Sed reuera tres res, tres dii, aut vnus tripartitus sub colore et nominibus unitatis, nobis inculcantur. Ego tamen, quia personis abuti nolo, primam rem, secundam rem, tertiam eas vocabo! Nam in scripturis nullum aliud nomen eis inuenio, et de personis quid sit proprie sentiendum. Concedentes igitur illas tres, quas suo more personas adpellant, ab inferiori ad superius arguendo, plures res, plura entia, plures essentias, plures substantias, plures Vsiar absolute concedunt, et ex consequenti voce deus absolute capta plures ei erunt dii. Quod si ita est, quid culpantur Tritoitae, qui tres deos dicunt? nam et isti tres deos, aut vnum tripartitum moluntur. Illi tres eorum dii, vnam compositam Vsiam faciunt, et licet compositionis verbo aliqui uti nolint, tamen constitutionis verbo vtuntur, et deus constituitur ex illis tribus rebus. Clare ergo nos Tritoitae sumus, et nobis tripartitus est deus, athei, hoc est, sine deo facti sumus: vid. auctor p. 109. In praefatione ad dialogos scribit quidem: *que nuper contra receptam de trinitate sententiam septem libris scripsi, omnia nunc, candide lector, retracto; sed addit; non quia falsa sint, sed quia imperfecta et tanquam a paruulo paruulis scripta. Nec ad sanio rem mentem eum rediisse, dialogi fati probant. Cum enim de verbo et de luce secundum Ioannis cap. I. multa profert, expresse dicit: deus ante**

ante creationem non erat lux, nec sermo, nec spiritus, sed aliud quid ineffabile, et illa omnia sunt dispensationis vocabula. Explanat deinde, quod dixit, sequenti modo: eo ipso, quod deus dixit: sit lux, dispensatione diuina lucem in se ipse creauit, et se ipsum lucem esse fecit, et etiam, ut dixi, lucem ipsum christum in angelorum figuris figurauit, et etiam in cordibus nostris illuxit, ut illuminaremur ad cognoscendum ipsum, et lucem illam in facie iesu christi, 2. Cor. IV. Ex eodem principio, quum spiritum Elohim super aquas insufflantem dicit Moyses, intelligere licet, qualiter deus ibi factus sit spiritus: nam antea, quam deus inspiraret, non erat spiritus, nec potuit esse spiritus, antequam deus loqueretur, quoniam deus loquendo flauit. In eodem etiam principio, quid sit spiritus sanctus, designatur in figura, atque euangelii veritas eo respondet. Nam ut deus mundum condidit, et verbo se manifestandum decreuit, simul et spiritum suum mundo communicauit. Qui ordo et in christo seruatus est, et manifestato christo, datus est spiritus eius, qui erat olim spiritus Elohim. Et hæc dispensatio in externa figura est ibi notata, sicut per christum eius spiritus se nobis interne communicat. In libro christianismi restitutum impie et execrabili modo dicit: atbei vere sunt trinitarii omnes et de iudæis, excusantur, si non credunt peruersæ antichristi et trinitariorum doctrine. Hunc præmissis librum horrendis blasphemiiis refertum esse, sententia decretoria in Seruetum, quam MOSHEMIVS ex DE LA ROCHE memoirs of literatur, vol. II. p. 75. 76. in dissert. sua histor. p. 107. sqq. nobis communicauit, confirmat; hæc enim in illa inuenimus verba: item, il a fait imprimer un autre livre à cachete dans Vienne en Dauphine, rempli des dites heresies, horribles et execrables blasphemes contre la sainte trinite, contre le fils de dieu etc.

E

Præ-

Præcipue autem in confessione fidei suæ, quam ante mortem exhibuit, gravissimus eiusdem de trinitate innotescit error. Sequentis enim est tenoris: qui tres substantiales personas, seu hypostases, in diuinis statuunt, tres æquales per naturam deos nobis insinuant. Tres enim res substantiales distinctas et differentes nobis proponunt, et unamquamque illarum rerum (seu ut vocant) hypostasium, deum esse volunt. Inde necessario tres deos æquales et distinctos faciunt. Cum enim persone; seu hypostases illæ re et numero differentes singulatim de deo prædicentur: necessario sequitur; tot esse prædicata, quot subiecta, et iuxta numerum personarum deorum quoque numerum multiplicari. Et licet unum tantum deum nobis verbis prædicent, in effectu tamen et re ipsa, tres nobis deos in intellectu representant. Nullus est enim intellectus tam acutus et sincerus, qui non videat tria sibi colenda proponi. Quomodo autem illa tria, quorum unum quodque deus est, unum deum numero esse intelligat, nemo unquam dicere potuit, vel docere. Relinquitur ergo et in spiritu, et in intellectu insolubilis illa perplexitas et confusio inexplicabilis, quod tria sunt unum et unum sunt tria; MOSHEM. dissert. cit. p. 131. Ex his facile colligere licet, quam de spiritu sancto fouerit sententiam; eo adcuratius autem illam ex sequentibus testimoniis cognoscere possumus. In lib. I. de trinit. erroribus p. 22. dicit: per spiritum sanctum nunc ipsam deum, nunc angelum, nunc spiritum hominis, instinctum quemdam, seu diuinum mentis flatum, mentis impetum siue halitum (scriptura sacra) intelligit, et licet aliquando differentia notetur inter flatum et spiritum. Et aliqui per spiritum sanctum nihil aliud intelligi volunt, quam rectum hominis intellectum et rationem. Et apud ebræos ררו nihil aliud, nisi spiraculum; seu flatum significat, quod indifferenter ventus est,

est, spiritus dicitur et apud graecos *πνεῦμα* pro quocumque spiritu et mentis impetu capitur: nec obstat, quod spiritus dicatur sanctus: nam omnes illi animi motus dum christi religionem concernant, sancti dicuntur et deo sacrati, quia nemo potest dicere dominum iesum, nisi in spiritu sancto. Pag. 109. hæc legimus: dic igitur, quod spiritus sanctus est diuina in spiritu hominis agitatio, sic quæ agitando illustrat deus, et illustrando sanctificat, nec exigitur hic definitio quidditatiua: nam de genere motus est vox spiritus, quasi motio impetus et habitus, et quia sic mouendo, christo credentes sanctificat deus, ideo dicitur spiritus in homine sanctus et ex fide christi. In libro v. restitut. christianismi sic definit spiritum sanctum: vt omnia summatim concludamus, spiritus sanctus definitur: spiritus sanctus est substantialis modus diuinus, spiritui angeli et homini accommodus. Hæc omnia ita comparata esse adeo videmus, vt Seruetus tres in deitate hypostascs et personas prorsus reiiciat, per christum merum hominem, per quem deus verbum suum dispensauit, per spiritum sanctum vero, cælestem quamdam virtutem et efficaciam in hominum animis intelligat, et sic Socinianorum antesignanus merito nominari possit. Videantur de doctrina Serueti WALCHIVS in *introduc. in controuers. relig. extra eccles. Luber. part. IV. cap. v. §. 7. p. 39. sqq. Unschuldige Nachrichten de an. 1712. p. 735. der Freywilligen Hebpfer vierter p. 359. zehender p. 883. et zwanzigster Beytrag p. 139. sqq. NATALIS ALEX. histor. eccles. tom. VIII. p. 158. sqq. BVDDEVS in theol. dogmat. lib. II. cap. I. p. 415. sqq.*

§. XXI.

Excipit Seruetum *Perrus Poiret*, qui in Sabellianismi suspicionem hac de causa venit, quoniam dei essentiam in cogitatione ponit, et in cogitationibus rationalibus

nalibus de deo, anima et malo, lib. III. cap. 8. p. 317. expresse dicit: *deus est perfectissime a se sibi que sufficiens cogitatio*, ex quo deinceps secundum geometricam demonstrationem trinitatem explanat et deducit, nec non in deo tres relationes, habitus, respectus, qualitates, potentias et facultates esse profiteretur. Pertinet ideo ad eos, qui ex rationis lumine trinitatis mysterium demonstrare conati sunt, de quibus vero **BVDDEVS** adfirmat, quod Sabellianismi errorem euitare vix possint: vid. **BVDDEI theol. dogmat. lib. II. cap. I. p. 345. sqq.** et p. 417. et **WALCHII introduct. in controuers. relig. extra eccles. Luther. part. IV. p. 51. sqq.** Luculentissime cum primis sententiam suam de trinitatis mysterio declarat **POIRETVS** in *æconom. diuin. lib. I. cap. 14.* Trinitatem quidem confirmare et probare videtur, quando pag. 194. scribit: *qui diuinitatem totam solo patre constare volunt, filio et spiritu sancto exclusis, diuinitatem destruunt, - - qui filium negant, patrem eiusque honorem et gloriam deformant, obscurant, imo et negant, attestante scriptura sacra, Io. V, 23. 1 Io. II, 23.* Vocabulum personæ itidem admittit, tresque in diuina essentia esse *ἰσωςάσεις* seu personas concedit pag. enim 203. dicit: *atque sciendum est, naturam animæ, quæ extra deum subsistit, non ex tribus simul personis (qua voce sine scrupulo vtor) sacrosanctæ trinitatis derivari.* Sed audiamus, quam pag. 200. de trinitate dedit definitionem hunc in modum: *hec vero est plenissima consummatio perfectioque totius diuinitatis seu totius essentiæ dei, qui non male definietur: cogitatio aut vita potentissima, si ita loqui licet, independentissima aut liberrima, se desiderans et sibi met ipsi per ideam sui representans, in qua atque iacet ac gaudii et amoris fontem in se inuenit.* Hanc vero definitionem et quæ ex illa secundum opinionem eius

eius resultat, trinitatem fufius ita refoluit et exponit: diuinitatem originariam aut id, quod primum in deo concipi debet, concipiamus vt cogitationem infinite viuam, infinite actuosam, et infinite fortiffimam potentiffimamque. Ac reuera hoc proprie est, quod in diuinitate pater adpellatur. Pag. 192. §. 2. pergit, porro §. 4. p. 193. character patris est cogitatio infinite viuam, actiua et fortiffima feu potentiffima. Quoniam vero in ftatu foret ille, fi folus effet, aut fi a filio et ftiritu ftancto eorumue caractere feperatus conciperetur? qualis foret cogitatio viuiffima, actuosiffima et uehementiffima, fi fine idea fui ipfius clara et luminofa fine imagine et reprafentatione lucida eorum, quibus vita, facultates et actiones, potentie et virtutes fue constant, hoc effet, fi fine filio eiusque caractere luminofo inueniretur; fequitur porro adquefcencia fui in fe, fine amore ac leto amplexu eorum, que in fe funt, hoc eft, fine ftiritu ftancto et diuino eius caractere effet? Pag. 200. §. 15. filius non potest non in patre eternum ac neceffario nafci; et pater non potest non in filio defideriorum et adfectuum fuorum infinitorum fatietatem eternam neceffario inuenire; ftiritus ftanctus autem, hoc eft, amor, adquefcencia, pax et tranquillitas dei effentialis, non potest non eternum ab utrifque procedere. Pag. 201. §. 17. fufpecta quoque maxime funt verba; cum dicat auctor: in luminis huius, quo deus fe ipfum in filio fuo videt, ftrenore, idem ipfe attributorum, virtutum et magnalium fuorum contemplationem illam arbitrariam efformat, in qua nunc hac, nunc illa diuina perfectio, vt diximus, triumphos agit, in qua itidem alias fuo caractere patris, alias filii, alias ftiritus ftancti adparet. Quis autem ex his ipfis Poireri verbis non videt, quod reuera vnam tantum in diuinitate ftatuat, $\upsilon\pi\omicron\varsigma\alpha\sigma\iota\upsilon$, et ex facultatibus, operationibus et qualitatibus entis fupremi, vt pote fumme

rationalis, tres faciat personas, quæ ab errore isto, quem in Sabellio vetus ecclesia damnauit, non procul remota sunt. Adiungendi Poireto sunt alii eiusdem farinae, vt *Bartholomæus Keckermannus*, *Philippus Morneus*, *Raymundus de Sabunde*, *Richardus de Victoria*, *Scotus*, aliique, de quibus **BYDDEVS** in *theol. dogmat. l. c.* et **GRAPIVS** in *theolog. recens controuers. part. i. cap. 2. quest. i. p. 101.* disputant.

§. XXII.

Plures adhuc adfunt inter recentiores, quorum de trinitate doctrina, a Sabellii doctrina haud distat longissime. Celebris in hunc ordinem recensendus est *Gleoricus*, qui sub nomine *Liberii de sancto Amore* latet, et in *epistolis suis theol.* per diuinas personas nihil aliud, quam diuersos cogitandi modos intelligit. Pertinet huic *Deyfingius*, qui in demonstrationibus allegoriae historicae veteris et noui testamenti, et iis addita reuelatione mysterii sacro-sanctæ triados, de trinitate ita mentem explicat, vt tres in diuinitate personas cum tribus animæ facultatibus, intellectu, iudicio et voluntate comparet, deumque, vt intelligentem spectatum, patrem vocet; et iudicantem filium, vt volentem spiritum sanctum. In censum porro veniunt *Io. Wallisus* et *Hermannus Alexander Roellius*, qui personam diuinam esse modum; siue respectum dei in relatione ad creaturas, vt ad eos tres sint in deo per repetitionem, non per multiplicationem, docuerunt. Legenda de his, quæ **BYDDEVS** in *theolog. dogmat. lib. II. cap. I. p. 417. sqq.* **WALCHIVS** in *introduc. in controu. relig. extra eccles. Luther. part. IV. p. 60. sqq.* nec non **ZACHARIAS GRAPIVS** in *theol. rec. controu. cap. II. quest. IX. p. 121. sqq.* item *cap. XIV. p. 133. sqq.* habent.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

§. XXIII.

TERTIA classis illorum est, qui personarum quidem in diuinitate admittunt pluralitatem; inæqualitatem autem illarum pariter statunt, et patrem solum esse æternum ac summum deum; creatorem omnium rerum, profitentur; filium creaturam a patre ante omnes creaturas ex nihilo productam; spiritum sanctum vero creaturam esse filii. Princeps et auctor huius hæreseos Arius fuit, cuius adseclæ *Arianorum* nomen ab eo sortiti sunt. In diuersas vero iterum illi abeunt partes et distinguendi sunt in *veteres* et *nouos*, et illi quidem in *Anomæos*, *semi-Arianos* et *medii generis*.

§. XXIV.

Principem et auctorem huius hæreseos *Arium* fuisse diximus, haud tamen de *Ario* altero itidem ecclesiæ Alexandrinæ presbytero et *Arianæ* hæreseos sectatore loquimur, de quo *BASNAGIVS* in *annal. tom. I. p. 759.* differit, sed de *Ario* hæreseos huius auctore. Sunt autem, qui hoc prorsus negant, et plurimos ante *Arium* veteris ecclesiæ doctores ac patres accusant, quod eandem ac *Arius* fouerint sententiam. Inter hos veteris ecclesiæ doctorum accusatores primum locum tenet *CHRISTOPHORVS SANDIVS*, qui in *nucleo histor. eccles.* omnem mouet lapidem, vt quamplurimos patrum *Arianorum* faciat præcursores. Sunt vero et alii multi, qui eandem *Sandii* amplexi sunt sententiam, et pro *Ario* militarunt, dum fidem veterum doctorum labefactare conati sunt. In censum hic veniunt *DANIEL ZWICKERVS*, *STEPHANVS GYRCEL LAEVS*,

LAEVS, PETRVS DANIEL HVETIVS, ELIAS
 SAVRIN, nec pratermittendus est DIONYSIVS PE-
 TAVIVS, quamvis adhuc sub iudice lis sit, iure meritoque
 imputari illi possit, quod patres ante-Nicænos
 Arianos fecerit. SANDIVS expresse scribit in *nucleo*
histor. eccles. p. 156. cum autem considero, quod Petavius pa-
 tres ante-Nicænos eadem cum Ario docuisse dicat. GEOR-
 GIVS quoque BVLLIVS Petavium plus Arianis, quam
 decet, in hoc puncto dedisse, existimat in *proæmio defens.*
fid. Nic. §. 7. p. m. 4. Sed defensionem Petavii in se
 suscepit THEOPHILVS ALETHIVS, hoc est, IO-
 CLERICVS in *pref. nou. dogmat. theol.* Petavii editioni
 præmissa: item BALTIVS in *defense des saints peres ac-*
cusez de Platonisme, lib. IV. cap. IX. p. 479. fqq. Aliqua
 vero ex parte priorum sententiæ et accusationi Petavii
 fauent, et Petavium similiter excusant BAYLIVS in
dictionar. histor. crit. sub voce Petau. sans y penser, inquit
 enim, et contre son intention il a rendu beaucoup de service
 aux Sociniens: et Mr. SIMON in *nouvelles lettres contre*
Maimbourg, p. 182. s'il y a quelque chose a reprendre dans
 les livres de Petav. c'est principalement dans le deuxieme
 tome des ses dogmes theologiques, ou il paroît favorable aux
 Ariens; il est vrai, qu'il a adouci dans sa prefaca ces en-
 droits la: mais comme le corps du livre demeure dans son
 entier, et que la prefaca, qui est une excellente piece, n'est
 venue, qu'apres coup, on n'a pas tout a fait remedié au mal,
 que ce livre peut faire, en ce tems ci, ou les nouveaux uni-
 taires se vantent, que le Pere Petav. a mis la tradition a
 leurs cote. J'ay vu ici des gens, qui croyent, que Grotius,
 qui avoit des grandes liaisons avec Cnellius et quelques autres
 Sociniens, a surpris ce savant Jesuite; mais il n'y a aucune
 vraisemblance, qu'un homme aussi habile, qu'etoit Petav., se
 soit

soit laissé tromper par Grotius, qui estoit son ami. Il est bien plus probable, qu'il a écrit de bonne foy ses pensees: vid. BVDDEI *isag. histor. theol. lib. II. cap. 3. p. 580. sq.* et WALCHII *introduc. in controuers. relig. extra eccles. Luther. part. IV. p. 214. sqq.* nec non BAYLII *dictionar. histor. crit. l. c.* Omittere etiam non debemus, SANDIVM adhuc plures doctos ex pontificiis et Lutheranis allegare, qui puritatem fidei patrum ante-Nicanorum in dubium vocauerunt. Ex pontificiis nominat FORERVM, ERBERMANNVM; ex Lutheranis Centur. Magdeburg. IO. MEISNERVM, ABRAH. CALOVIVM, DANNHAVERVM, in *nucleo hist. eccles. p. 134. IO. ALBERT. FABRICIVS* autem in *biblioth. græca, volum. VIII. p. 312.* nec non PFAFFIVS in *histor. theol. litter. part. I. p. 309. sqq.* illos recenset, qui patres ante-Nicanos defenderunt, et illorum obtrectatores in hoc puncto refutarunt, inter quos GARDINERIVS contra SANDIVM præ aliis notandus. ORIGENEM tamen Ario omnino prælusisse, dum spiritum sanctum filio tanto inferiorem, quantum hic patre docuit, certum est: vid. LAMPE *dissert. III. de spiritu sancto p. 26.* PETAVIVS *theolog. dogmat. part. II. lib. I. cap. XIV. p. 60.* Sicut et Dionysium Alexandrinum et Pierium Origeniani erroris contagione infectos fuisse, laudatus iam PETAVIVS *l. c. p. 62.* ex EPIPHANIO PHOTIO et BASILIO probat.

S. XXV.

Ad Arium nunc progredimur. Presbyter Alexandriae erat gente Lybs; siue vt habet PHOTIVS, ortu Alexandrinus, cœpitque, vt volunt, ab anno cccxv. tanquam hæresiarcha innotescere, quod tamen CAVEO paulo serius, et paucis ante synodum Nicænam annis,

contigisse videtur. Adeo quidem vulgatus et notus est ille, quem impurissimus homo prædicauit, error, vt opera superfedere possim; palam illum exponere et probare. Malo tamen illius, quod pertractandum suscepi, argumenti mensuram, quantum licet explere et testimoniis idoneis corroborare, quæ de Ario in medium protuli. Habemus ipsum confidentem. Librum scripsit *Thalia* dictum, in quo de grauissimis summeque venerandis fidei mysteriis, leuissimis futilissimisque numeris differuit. Excerpta quædam ex eo habentur passim apud ATHANASIVM: *non semper deus erat pater, sed fuit, quando deus solum et pater nondum erat. Posterius autem factus est pater: non semper fuit filius: ipsumque dei verbum ex nihilo factum est. Quum enim omnia ex entibus extiterint, et in vniuersum nihil sint, nisi creaturae et opera, restat igitur ipsum quoque dei verbum, ex non entibus factum esse, et fuit, quando non erat, neque erat, antequam fieret: sed exordium, ut crearetur, etiam ipsum habuit: vid. WALCHII introduct. in controuers. relig. extra eccles. Luth. p. 91.* Ex plurimis, quas scripsit, epistolis extat vna ad Eusebium Nicomediensem apud EPIPHANIVM *hæres. 69.* et THEODORETVM *lib. 1. cap. v.* alteram suo suorumque nomine ad Alexandrum, Alexandrinum antistitem datam, habet ATHANASIVS *libro de synod. Arim. et Seleuc. p. 682.* et EPIPHANIVS *l. c.* Ex his fragmentis, quæ senserit de trinitate, et speciatim de secunda trinitatis persona, facile cognosci potest. Accuratè sine dubio et candide, hanc Arii sententiam SANDIVS, quem ipsum partibus Arianorum maxime addictum fuisse, inter plurimos doctos constat, proponi, sequentem in modum: *Arius docuit, patrem solum esse vnum verum summum deum, filium non esse summum deum,*

nec

nec ex essentia dei patris genitum, sed ex nihilo: et in tantum primum creaturarum omnium existere, dici autem filium quia sit imago dei inuisibilis. Cum Platonis enim et Philone statuebat generationem per communicationem; vel participationem substantie in deum non posse cadere. Filium principium durationis accepisse cum deus voluit, adeoque deum non semper fuisse patrem, per filium autem vel verbum, deum omnia creasse, et in omnibus illis etiam spiritum sanctum hunc, esse ministrum filii et patris, etc. vid. SANDII *uel. histor. eccles. lib. I. p. 138.* Summa doctrinæ Arii hæc est: christus 1) non est eiusdem cum patre essentia; sed 2) creatura ex nihilo ante iacta mundi fundamenta producta: 3) patri ideo non coæternus vel consubstantialis: 4) instrumentum potius, per quod deus mundum creauit, et 5) quia a deo in filium adoptatus est, dei filius nominatur; 6) spiritus sanctus creatura filii existit. De hoc autem circa spiritum sanctum errore fusius agendum nobis erit. BARONIVS ad annum 325. §. 51. et 75. Ario patrocinator, et vult, illum non negasse spiritus sancti deitatem. Nihil enim, inquit, expressius de diuinitate spiritus sancti, sicut de filio in Nicæno Symbolo positum est; quod nulla alia de re ab Ario questio mota esset. Quod si eius diuinitatem impugnasset, nequaquam sanctissimi illi prætermisissent, ipsam defensam a cunctis aduersarii opinionibus reddere. Contrarium autem euinci facile potest: nam et veterum plures hunc Ario errorem tribuunt, quorum agmen ATHANASIVS ducit, cui in hac questione præcipue credendum est: Arius, dicit, alienas itemque incommunicabiles substantias patris et filii et spiritus sancti, et prorsus dissimiles inter se, ratione substantie et gloriæ in infinitum; orat. II. in Ar. tom. p. 312. DAMASVS in epist. V. ad Paulinum Thessal. scribit:

anathemate damnans Arium et Eunomium, qui pari impietate, licet verbis discrepent, tum filium, tum spiritum sanctum, creaturam esse asserunt. Confirmant hunc Arii errorem EPIPHANIVS *heres.* 69. AVGVSTINVS *de heres.* cap. 69. aliique. Præ cæteris rem acu tetigit PROSPER AQTIVANVS, qui in *chronico* ait: Arius prædicabat, patrem et filium et spiritum sanctum non esse unius eiusdemque naturæ, aut ut expressius dicitur, essentiæ, utpote creaturam; spiritum vero sanctum creaturam creaturæ, id est, ab ipso filio creatum: ita ut filius patre minor; spiritus autem sanctus filio etiam habeatur inferior. vid. BASNAGIVS in *annal.* tom. II. p. 665. SANDIVS in *nucleo histor. eccl.* p. 145. sq. PETAVIVS *theol. dogmat.* tom. II. lib. I. cap. 7. sq. Integram autem Arii et hæreseos suæ historiam singulari cura conscripsit CAVEVS in *antiquit. patr. in vita Arhanasii*: conf. pariter NATAL. LEX. *histor. eccles.* tom. IV. p. 22. sq.

§. XXVI.

Multos habuit Arius amicos et hæreseos suæ sectatores. Initio quidem septem tantum presbyteros Ario adhæsisse Alexandria, EPIPHANIVS docet. ALEXANDER Alexandria Episcopus in *epistola encyclica apud SOCRATEM* lib. I. cap. 3. quatuordecim eius discipulos recenset; postea vero quamplurimos Palæstinæ episcopos sibi suffragentes, sibi adiunxit. Catalogum fautorum Arii principio prodita hæreseos, IO. ALBERT. FABRICIVS exhibet in *biblioth. græc.* vol. VIII. p. 335. sq. Eminent inter eos *Eusebius Nicomediensis*, *Luciani* martyris discipulus, et hac de causa *Collucianiste* titulo ab Ario insignitus, ad quem epistola ab Ario data, apud THEODORETVM lib. I. cap. 5. et apud EPIPHANIVM *heres.* 69. extat. Legi meretur CAVEVS in *script.*

script. eccl. hist. litter. p. 68. vbi dicit: eadem porro dogmata cum Ario docere Eusebius non contentus, rotius factionis dux ac signifer euasit, omniumque malorum, quæ in Athanasium machinabantur Ariani ἐγγοδιώκτες vnicus. Inde Arii sectatores vulgo Eusebiani, et οἱ πρὸς Εὐσεβίου dicti. Ex instituto de Eusebio egit CAVEVS in antiquit. patrum in vita Athanasii, et BASNAGIUS in annal. tom. II. p. 620. 691. et alibi. Non idem vero de Eusebio Casariensi, quem FABRICIUS loco supra cit. in Arianorum ordinem posuit, constat. BARONIUS quidem in annal. ad ann. 324. omnem impendit operam, vt ex Hieronymi auctoritate, Eusebius Casariensis Arianis annumeretur, et conspirant cum illo Petauius, Sandius, Clericus; sed defenderunt illum BVLLVS in defens. fid. Nic. p. 231. sq. BASNAGIUS in annal. tom. II. p. 733. et præ aliis Eusebii causam contra Clericum agit CAVEVS in antiquit. patrum, part. II. in vita Eusebii, p. 178. sqq.

§. XXVII.

Diuisa est Ariana hæresis progressu temporis in tres factiones. Prima fuit eorum, qui primigenium Arii errorem propugnabant, et Anomæi vocabantur. Altera semi-Arianorum, tertia Acacianorum; seu medii generis, quorum errores et inter se differentiam paulo accuratius exponere volumus. Ad primam Arianorum sectam seu Anomæorum quod attinet, Aetius et Eunomius primi fuerunt illius auctores, quapropter et huic sectæ additi, Aetiani et Eunomiani audiunt. Filium dei per omnia patri ἀνόμοιον seu dissimilem asseruere, ideoque ἀνόμοιοι vocantur. Aetius primo salutarem artem secutus, quam autem postea deseruit, et a Leontio, Antiochiæ episcopo, ad diaconi officium promotus est. Arii lolia animo comprehensa vsque adeo excoluit, vt

parentem hæreseos longe superarit: vid. CAVEVS in antiquit. patr. part. II. p. 395. fqq. NATALIS ALEX. histor. eccles. tom. IV. p. 52. Eunomius Cyzici erat, et Arianae hæreseos venenum ab Actio ita acceperat, ut impietate Actium et Arium iterum anteiret. GREGORIVS Nyssenus contra Eunom. lib. I. p. 309. de illo scribit: fatemur, comparatione sociorum in impietatis studio palmam præripuisse omnibus, omnesque in eodem aduersus veritatem puluere defudantes longe post se reliquisse, baptismi ritus mutauit, teste Epiphanio heres. 96. qui iam baptizati sunt, iterum baptizat Eunomius, non modo qui a catholicis, aut ab aliis hæresibus; sed eos etiam, qui ab ipsismet Ariantibus deficiunt. Reperti porro illius baptismi formula est: in nomine dei increati, et in nomine filii creati, et in nomine spiritus sanctificantis, et a creato filio procreati: conf. BASNAGIUS annal. tom. IV. p. 861. NATALIS ALEX. histor. eccles. tom. IV. p. 52. Adsectæ eius fuerunt Euzoius, Valens, Vascius, Auxentius Mediolanensis, et præ cæteris Eudoxius Antiochiæ episcopus, qui conciliabulum ibidem in gratiam Arianorum coegit, cuius memoria apud SOZOMENVM lib. IV. cap. 12. sq. extat. Altera Arianorum secta semi-Arianorum est, qui vocem *ὁμοούσιον* reiiciebant, et filium patri minime consubstantialem esse, sed per omnia similem, adeoque *κατ' ὅμοιω* dicebant et *ὁμοιοούσιον* esse patri, quod edita fidei formula in Ancyra synodo an. C.CCLVIII. professi sunt. Huius factio- nis principes extiterunt Basilius Ancyranus, Georgius Laodiceus, Sylvanus Tarsensis aliique, præsertim Macedonius Constantinopolitanus, de cuius nefanda hæresi et atroci blasphemia in spiritum sanctum in sequentibus verba facturi sumus. Tertia classis est Acacianorum; seu Arianorum medii generis. Acaciani nominantur, ab

ab *Acacio* episcopo *Cæsariensi*, quem priuata cum *Cyrillo Hierosolymitano* inimicitia a semi-Arianorum partibus, quibus adhaerebat antea, abstraxerunt, impuleruntque, vt propriam factionem conflaret. Hic *Acacius* neque consubstantialem patri, filium adferebat, neque vnam ex creaturis; sed similem, non tamen substantia vel *ὁσία*, non *ὁμοῦσιον*, vt profitebantur catholici, non *ὁμοιῶσιον*, vt semi-Ariani, non *ἀνόμοιον*, vt Aetiani, Eunomiani et Eudoxiani, sed *ὁμοιον* propugnabat. Quod ille sic exponebat: vt quem admodum statuarii effigies et simulacra hominum viuorum ad similitudinem exprimunt; quæ natura substantiaque diuersa ac dissimilia, externa solum specie ac lineamentis similia sunt: sic patrem sibi similem filium procreauerit; non tamen diuinitate vel æternitate parem et æqualem. Inter veteres, qui de Arianorum hæresi vel contra illam scripserunt, præcipui sunt *ATHANASIUS*, *HILARIUS*, *GREGORIUS Nazianzenus*, *AMBROSIUS*, *BASILIVS*, *EPIPHANIVS*, *AVGVSTINVS*, *PHILASTRIVS*. Inter recentiores vero *BASILIUS* *annal. tom. II. p. 664. sqq.* *NATALIS ALEX. hist. eccles. tom. IV. p. 22. sqq.* *PETAVIVS theol. dogmat. tom. II. lib. I. cap. 9. p. 39.* *CAVE antiquitat. patrum, part. II. in vita Arbanas.* aliorumque, quorum memorabilia delineat, patrum, vbi simul conciliorum in gratiam illorum pariter ac contra illos celebratorum, mentio fit; *SANDIVS* in *nucleo histor. eccles.* ipseque *WALCHIVS* et quos allegat scriptores in *introd. in controu. relig. extra eccles. Luth. part. IV. p. 96.*

§. XXVIII.

Omnes quidem Ariani diuinitatem spiritus sancti, vt iam ostendimus, impugnarunt, et negarunt, nulla tamen

tamen Arianorum secta, spiritui sancto eiusque diuinitati infensior fuit, quam semi-Arianorum. Cum enim in doctrina de christi diuinitate mitiores erant, quam cæteri, et filium patri *ὁμοούσιον* esse profitebantur, spiritum sanctum eiusdem honoris et dignitatis expertem adferebant, paulisper supra angelorum conditionem euectum, famulum et ministrum patris et filii illum appellantes. Hinc qui eius hæresin sectati sunt *πνευματόμαχοι* seu spiritus sancti impugnatores nominabantur: vid. EPIPHANIVS *heres.* 74. THEODORETUS *lib.* 2. *cap.* 5. Architectus huius detestabilis hæreseos fuit *Macedonius* ab Arianis quidem constitutus Constantinopolitanus episcopus, sed de sede deinceps depulsus: in sententiam illius concessere *Eustathius Sebastenus* atque *Eleusus Cyzici*, nec non *Marathonius*, qui hæresin a Macedonio fundatam exstructamque adeo excoluit, ut Macedonii sectatores a quibusdam *Marathoniani* dicantur. Nata est hæresis an. CCCLX. damnata vero fuit primum in synodo Alexandrina an. CCCLXII. secundo in synodo Illyrici an. CCCLXVII. tertio in synodo Romana, quam paulo post *Damasus* pontifex celebravit, quarto in altera synodo Romana, quam contra Apollinarem habuit *Damasus*, et quinto in synodo Constantinopolitana prima, quæ est Oecumenica secunda. Inter Macedonianorum impugnatores celeberrimos sunt ATHANASIVS, EPIPHANIVS, BASILIVS, GREGORIVS *Nazianzenus*, GREGORIVS *Nyssenus* et AMBROSIVS. Legi autem de pneumatomachis merentur præ aliis, CAVEI *antiquit. patr. part.* II. *in vita Gregorii Nazianz.* pag. 670. sqq. et NATALIS ALEX. *histor. eccles. tom.* IV. p. 56. sqq. nec non DIONYSII PETAVII *theol. dogmat. tom.* II. *lib.* I. *cap.* 14.

Non

Non solum antiquioribus temporibus extiterunt pneumatomachi; sed etiam recentiori aetate fuerunt, qui diuinitatem spiritus sancti oppugnare sibi sumerent, admittendo quidem illius *υποστασις*; ita tamen, vt deum esse illum et cum patre habere eandem essentiam, negarent. *Ioan. Bidellus*, qui scholæ Glocestriensis præfectus fuit, ad angelorum spiritum sanctum refert ordinem, et quid sentiat de illo, in confessione fidei de trinitate, ann. MDCXLVIII. Anglice edita hunc in modum exponit: credo, esse præcipuum quendam ministrum; siue angelum dei et christi, singulariter de caelo missum ad sanctificandam ecclesiam, qui propter excellentiam et familiaritatem cum deo, ex cetero angelorum ministrorumque dei numero exemptus, et in sacram trinitatem cooptatus, tertiam eius personam constituit, qui ipse dei christique minister est spiritus sanctus. Agunt de illo CHR. SANDIUS in biblioth. anti-trinitar. p. 159. et CHR. MATTH. PFAFFIUS in introd. ad histor. theol. litter. part. II. p. 328. Adiungendus est Bidello *Christ. Sandius*, qui problema paradoxum edidit de spiritu sancto: annon per illum sanctorum angelorum genus intelligi possit? vid. biblioth. anti-trinitar. p. 170. sqq. *GRAPHI theol. recens controu. part. I. p. 160. sqq.* et qui illum refutauit, *SCHOMERVS*, de spiritu sancto. Alii inter recentiores pneumatomachos, spiritum sanctum non ad angelorum; sed ad hominum substantias retulerunt. Nominamus *Franciscum Iosephum Burrhum*, qui existimauit; aut vere delirantis animi signa prodidit, virginem Mariam esse spiritum sanctum in ventre Annæ incarnatum, quemadmodum in tabula damnationis aduersus eum Romæ promulgata significatur: ibi enim hæc legimus verba: *ab his figmentis ad mysteria fidei transgressus docuit, deiparam esse deum, quia filius ipsius sit*
deus.

deus. Conceptam fuisse sine hominis semine, spiritu sancto in ventre anime incarnato, cum quo eadem sit deipara, quæ nata fuerit ex Anna virgine: vid. IO. GEORGIUS SCHELLHORNIVS in amœnitæ litter. tom. v. p. 152. adpellasse porro deiparam sacratissimamque dei filiam, deam filiam unigenitam altissimi; nec non nomine primi cæli patrem, secundi filium, tertii spiritum sanctum, ad quem raptus fuerit Paulus, intelligi somniabat: libid. p. 153. Huc spectant etiam, quæ SANDIVS in appendice ad nucleum histor. eccles. p. 15. profert deliramenta, sequentem in modum scribens: ad Ptolomei et Colarbasii sententiam, ac eorum, quibus ecclesia tertium in trinitate erat, referendum videtur, quod Hali Ben Aibdalcharim scribit de christianis: dixerunt illi, quod trini sunt, qui trinitatem consciunt; pater scilicet et filius et mater: alii eorum sunt, quibus pater ipse spiritus sanctus est in trinitate, Maria virgo mater et iesus filius: vid. plura de hac re in Seldeni libro de synædriis, lib. II. cap. 4. et nostro de spiritu sancto ubi scribo, quosdam adserere, spiritum sanctum ideo in hebreo esse femininum, quod mater fit christi. Commemorandus heic denique est auctor pathologicæ demoniacæ ann. M DCC. VII. Lipsiæ editæ, qui particulam auræ diuinæ in Pythagoræ, Platonis et Stoicorum schola natam, a Cerdonianis, Marcionitis, Priscillianistis, Manichæis et aliis veteribus hæreticis; nec non a Paracelsistis, Bœhmistis eorumque adfœclis adoptatam, in scriptura quærens, non sine absurditate horrenda adferit, hanc diuinæ auræ scintillulam in sacra scriptura spiritum dei vel spiritum domini, vel spiritum nar. ^{Ex. 31.} et a solo christo procedentem, in scriptura noui testamenti spiritum sanctum dici nugatur, nisi quod Lucæ cap. I. 35. in verbis: spiritus sanctus veniet super te, per



per spiritum sanctum filium dei intelligi somniat: *patrol. demon. p. 65. vid. THOM. ITTIGII histor. eccles. saecul. I. cap. III. sect. I. p. 120.* Valeant quoque illi, qui sibi met ipsis nomen spiritus sancti arrogarunt, vt *Guilielmina Bœma*, cuius blasphemiam aetate nostra *Butleria* quaedam imitata est. *ITTIGIVS loc. cit.*

In gall. de de consilio §. XXIX. VINDIA W. 200. DIV

Medii cui temporibus in suspensionem Arianismi venerunt *Petrus Abælardus*, saeculo duodecimo clarus: vid. *GVILLIELMVS abbas Theodorici in diss. aduersus Abælardum: BERNHARDVS epist. CXC. ad Innocentium I. OTTO FRISINGENSIS lib. I. de gestis Friderici cap. 47. et inter nouos NATALIS ALEX. histor. eccles. tom. VI. p. 790.* qui in errorum Abælardi catalogo hæc recenset: ponebat in trinitate gradus, in maiestate modos, numeros in aeternitate. Constituebat patrem planam esse potentiam, filium quamdam potentiam, spiritum sanctum nullam potentiam. Secundo: spiritum sanctum procedere quidem ex patre et filio, sed minime de patris filiiue esse substantia. Tertio: spiritum sanctum animam esse mundi adseruit. Sabellianismi etiam accusatur, *OTTONE FRISINGENSI* teste, quoniam dixerit: *Sicut eadem sunt in syllogismo oratio, propositio, adsumtio et conclusio, ita in trinitate eandem esse essentiam, patrem, filium et spiritum sanctum.* Causam Abælardi autem legit *WALCHIUS* in *introd. in controu. relig. extra eccles. Lutber. part. IV. p. 107. sqq.* Paria fata tulit cum magistro Abælardo *Arnoldus Brixienfis*, quem *SANDIVS* in *nucleo histor. eccles. lib. III. p. 389.* in Arianorum numerum refert et dicit: *Arnoldus Brixienfis cum magistro renouabat errores antiquos Arii contra sanctissimam trinitatem: vid. NATALIS ALEX. histor. eccles. loc. cit. p. 484. WALCHIUS*

loc. cit. p. 109. Eadem *Gilberti Porretani* episcopi Pictaviensis est ratio, de quo legendi *NATALIS ALEX. l. c.* p. 485. *WALCHIVS l. c.* p. III. Restat adhuc *Ioachimus abbas*, qui itidem in sæculo XII. vixit et a *SANDIO* atro carbone notatur, dum dicit: *Ioachimus abbas incidit in errorem Arianorum*; in *nucleo histor. eccles.* p. 395. vid. quæ *WALCHIVS l. c.* p. 115. aliique ab eo allegati scriptores ecclesiastici, de *Ioachimo* habent. *Recentiori* autem *etate* ingens fuit *Neo-Arianorum* colluies. *Primus* crassissimum et execrabilem errorem reuocauit *Ioannes Valentinus Gentilis* Neapolitanus, quem infauftum præcursorem, multi alii secuti sunt infaufto fidere. Singularem opera et eruditione sæpe iam nobis laudatus *WALCHIVS* historiam *Neo-Arianorum* contexit in *introduc. in controu. relig. extra eccles. Luther. part. IV.* p. 120. sqq. *CHRISTOPH.* item *SANDII bibliothec. anti-trinitarior.* catalogum scriptorum et succinctam narrationem de vita auctorum exhibet, qui sæculo XVI. et XVII. dogma de tribus in vno deo per omnia æqualibus personis vel impugnarunt, vel docuerunt: solum patrem domini nostri iesu christi esse illum verum seu altissimum Deum. *STANISLAI LVBIENIECII* *historia reformat. Pol.* legi pariter mereatur. Præcipui autem, qui *Neo-Arianorum* cognomine notantur, sunt *Io. Val. Gentilis*, *Matthæus Gribaldus*, *Gregorius Pauli*, *Io. Paulus Abciatus*, *Georg Blandrata*, *Petrus Gonesius*, vterque *Sandius* *Io.* denique *Campanus*, de quo *SCHELHORN.* in *amœnit. litterar. rom.* XI. p. 1. sq. potiora, eximia cura collegit. Nostris temporibus *Anglia* præsertim in producendo *Neo-Arianorum* lolio frugifera fuit. Agmen illorum ducit *Wilb. Whiston*, cuius doctrinam et scripta *WALCHIVS* itidem *l. c.* p. 155. sqq. propo-

proponit: conf. quoque PFAFFII *introd. in histor. theol. litter. part. II.* p. 247. sqq. et *acta erud. de an. 1716.* p. 35. Vestigia huius secutus est Sam. Clarkius, cuius liber: *the scripture doctrine of the trinity*, Londini editus multas in Anglicana ecclesia excitauit turbas et motus: vid. *die unschuldigen Nachrichten de an. 1713.* p. 237. et *acta erudit. de ann. 1713.* p. 258. Inter multos, quos habuerunt, sectatores et nuperrime anonymus quidam virus disseminauit scripto, cui titulus est: *a plain Account of the trinity*, in quo omni modo probare contendit, solum patrem verum et aeternum deum, filium vero et spiritum sanctum diuinitatis quidem personas; sed longe inferioris conditionis esse: vid. *relationes litter. Lips. de ann. 1739.* num LXXIX. p. 699.

§. XXX.

Restat adhuc, vt de Arianis mollibus aliquid addamus. Remonstrantes; seu Arminiani hoc nomine insigniri solent. Quæ illorum de trinitate sit sententia, PHILIPPVS A LIMBORCH in *theologia christiana* certiores nos reddit *lib. II. cap. XVII. §. 4. 7. et 25.* p. 103. et 107. Primo itaque dicit: tres hi, quorum scriptura meminit, pater, filius et spiritus sanctus describuntur nobis in scriptura vt individua subsistentia, vita, intelligentia, voluntate et potentia prædita, operaque eiusmodi indiuiduis consentanea exercentia: vnde communiter a theologis tres personæ appellari solent, voce quidem ex scripturis non deprompta; sed quæ longo seculorum vsu in ecclesia inualuit. Secundo, tribus hisce tribuuntur diuinæ perfectiones, vnde concludimus, deitatem tribus hisce esse communem. Sed non minus constat, inter tres hasce personas subordinationem esse quandam, quatenus pater diuinam naturam a se habet, filius et spiritus sanctus a patre - - est quædam supereminencia pa-

tris respectu filii, et patris et filii respectu spiritus sancti, ratione dignitatis et potestatis, maior dignitas siquidem est generare, quam generari, spirare, quam spirari: mittens etiam in mittentem potestatem habet, non autem missus in mittentem, etc. Quod autem eiusmodi doctrina Arianismum sapiat, nemo non videt. In eundem errorem æque prolapsus est celeberrimus ille *Georg. Bullus*, qui defensionem fidei Nicenæ, incomparabilem librum conscripsit: vid. eiusd. *defens. sect. iv. p. 251. sqq.* Expresse scribit, et probare omni desudat opera, quod doctores catholici, tum qui ante, tum qui post synodum Nicenam scripsere, vno ore docuerint, naturam perfectionesque diuinas patri filioque et per consequens etiam spiritui sancto competere, non collateraliter aut coordinare; sed subordinate. Consentit cum Bullo *Radulphus Cudworthus*, qui in *systemate suo intellectuiali* docet: Trinitatem personarum in deo haud esse æqualium, verum sibi inuicem subordinatarum, patre existente vno summo et communi principio ac fonte deitatis: vid. *GRAPPI theol. recens. contr. lib. II. qu. XV. p. 136.*

§. XXXI.

Agendum denique est de *Trinitatis*, quorum in epitome formulæ concord. p. 626, mentio fit sequentibus verbis: *reiiicimus, qui opinantur, docent et profiteantur, non esse unicam tantum diuinam et eternam patris, filii et spiritus sancti essentiam; sed quemadmodum pater, filius et spiritus sanctus tres sunt distinctæ personæ; ita vnquamque personam habere distinctam et a reliquis personis diuinitatis separatam essentiam.* Merito hostes diuinitatis spiritus sancti audiunt, quam vis enim singulas personas in singulis essentis, æquali esse potestate, sapientia, maiestate

iestate et gloria, dicunt; tamen diuisionem in diuinitate, et trium deitatis personarum ratione essentiae statuunt, quod idem est ac diuinitatem negare. Historiam Tritheitarum, qui legere vult, WALCHII *introduc.* in *controu. relig. extra eccles. Luther. part. IV. p. 201. sqq.* euoluat. Haud tamen de lite inter ecclesiam græcam et latinam ob processionem spiritus sancti a patre et filio exorta, ita est sentiendum. Cum enim græci doceant ac profiteantur, spiritum sanctum esse eiusdem essentiae cum patre et filio, et æquali cultu adorandum, dubito, an illis, diuinitati spiritus sancti aliquid derogare, in animum venerit. BVDDEVS quidem *theolog. dogmat. lib. II. cap. I. p. 400.* recte monet, græcos concedere et ambabus largiri manibus, quod spiritus sanctus a filio mittatur, et hinc ita argumentatur: *si spiritus sanctus a filio mittitur, ab eo interne procedat necesse est. Non alia enim missionis inter personas diuinas causa esse potest. Si enim per modum mandati mitteretur spiritus sanctus, non esset verus deus, eiusdem cum patre et filio essentiae.* Hoc tamen græci nunquam dixerunt, nec dicent. conf. HEINECCII *Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche, part. II. cap. I. p. 69.*



CAPVT

CAPVT SECVNDVM
DOGMATICO-POLEMICVM,

in quo vera et genuina de diuinitate spiritus sancti doctrina tam exponitur et probatur, quam contra pneumatomachorum insultus et sophisticationes defenditur. Haud tamen omnium ac singulorum contra trinitatem in genere et diuinitatem spiritus sancti in specie, argumenta, proferre et explodere, propositum nostrum est, sed nonnulla tantum, illaque potiora, in quibus ad destruendam spiritus sancti diuinitatem, adiumentum quærunt validissimum ac certissimum. In duas dispescam hoc caput iterum sectiones. In priori, veritatem probare, et quid ad argumenta quædam nostra, personalitatem et diuinitatem spiritus sancti probantia, respondeant aduersarii, in examen vocare et refellere; in posteriori, ad dubia partim ex antiquitate ecclesiastica, partim ratione, partim scriptura sacra desumpta respondere, animum induxi meum.

SECTIO I. DOGMATICA.

§. I.

VT eo distinctius et accuratius de spiritus sancti diuinitate loquamur, ante omnia considerari ac cognosci debet, quo sensu ac significato vox, *spiritus sanctus*, a nobis accipiatur. *Triplici enim significato primo* *πνεῦμα*, spiritus sanctus in diuinis venit. Sumitur quando de deo prædicatur, quoad essentiam omnibus personis communem, ut saluator noster dicit: *deus est spiritus*, Ioan. IV, 24. *secundo* *ὑποστατικῶς*, quum

quum vni alicui personæ tribuitur, eique secundæ
 i Cor. XV, 45. *extremus Adam factus est in spiritum viu-*
ficantem; tertiæ vero Matth. XXVIII, 19. vbi Christus
 discipulos suos baptizare iubet omnes gentes, in nomi-
 ne patris, filii et spiritus sancti: item i Ioan. V, 7. *tres*
sunt, qui testimonium perhibent in cælis, pater, verbum, et
spiritus sanctus, et hi tres vnum sunt; tertio *μετῶν ἁγίων*,
 quum effecta quædam aut dona notat, vti Ioan. VII, 39.
 i Theff. V, 19. Sumitur autem iam a nobis vox, spiri-
 tus sanctus in secundo significatu, et quando electe ter-
 tia diuinitatis persona, spiritus vocatur, non ob eam
 solum rationem, quæ illi cum patre et filio communis
 est, propter essentiam nimirum simplicissimam, omnis-
 que materiæ et imperfectionis corporeæ expertem;
 sed et propter processionis suæ a patre et filio modum,
 cum *πνεῦμα*, spiritus, proprie statum significet, et
 operationes suas, quæ tales sunt, vt flatui et spirationi
 sint propriæ. Sanctum nominamus spiritum, non tan-
 tum propter essentialem sanctitatem suam, quam iterum
 cum patre et filio habet communem, sed quia secun-
 dum operationum diuinarum œconomiam, sanctificatio
 nostra ei adtribuitur.

§. II.

His præmissis tria momenta de spiritu sancto con-
 sideranda et probanda sunt, primo nempe, quod perso-
 na, quæ propriam habet *ὁψίασιν*, secundo, quod perso-
 na diuina, seu verus ac supremus deus, et denique,
 quod a patre filioque distincta persona sit, de quibus
 singulatim.

§. III.

Primo dicimus, quod spiritus sanctus persona, non
 ἐνέργεια vel operatio, non qualitas vel virtus quædam

sed spiritualis et intellectualis subsistentia sit. Hanc eiusdem personalitatem ex ratione probari posse, cum res agens sit, PEARSONIUS in *exposit. symb. apost.* p. 544. probe notavit. Si enim operatio tantum foret, in actum tantum deduceretur, non pariter ageret, ac cessante illo actu, in quem deduceretur, simul quoque desineret; si qualitatem tantum esse dicamus non substantiam, tale quid esse dicimus, quale existentiam habere penitus probari nequit. Spiritus sanctus est ille, qui nos regenerat et sanctificat, regeneratio et sanctificatio præsupponunt principium quoddam agens: nulla res potest esse activa præter substantias, si itaque regeneramur et sanctificamur per spiritum sanctum, spiritus sanctus necessario est substantia. Qua porro ratione asseri potest, ullam aliquam existentiam realem dici posse, qualitatem ab omni substantia distinctam, quæ nihilominus reales illosque admirabiles effectus producat? Optime tamen verbum dei ab ipso spiritu sancto profectum et inspiratum, illum aperte ut personam describit, et hæc de illo in sacris litteris dicuntur, quæ ipsis fatentibus adversariis, proprie et peculiariter ad personam spectant. Ad ductum scripturæ sacræ vero probatur personalitas spiritus sancti, ex proprietatibus personalibus, ex apparitionibus personalibus, ex operationibus personalibus, et ex eo denique, quia personis pari loco et ordine iungitur, nulla discriminis nota.

§. IV.

Spiritus sanctus intellectu et voluntate præditus est; ergo est persona. Hac ratione Paulus dicit: *spiritus sanctus omnia scrutatur, etiam profunditates dei. Quæ sunt dei, nemo novit, nisi spiritus dei.* 1. Corinth. II, 10. II. Sola autem substantia intelligens scrutari aliquid et cogno-

cognoscere potest. De voluntate spiritus sancti eadem ad Corinthios epistola cap. XII, II. agitur: *omnia hec agit vnus idemque ille spiritus, distribuens priuatim singulis sicut vult*; et recte monet HERM. WITSIVS in exercit. in symb. apostol. exercit. XXIII. quod spiritus hoc capite distinguatur, vti donans a donis, v. 4. plane sicuti dominus distinguitur a ministeriis, v. 5. et deus omnia agens a suis operationibus, v. 6. Adhortatur nos apostolus, *non contristare spiritum sanctum*, Ephes. IV, 30. contristatio autem est personalis affectio, cuius incapax est qualitas. Adparuit etiam spiritus sanctus specie corporea Matth. III, 16. vbi dicitur, quod Ioannes viderit *spiritum dei descendentem quasi columbam et vententem super iesum*: quod Luc. III, 22. sic explicatur: *descendit spiritus sanctus corporea specie, tanquam columba super eum*. Quis vero dicet, quod vnquam virtus vel qualitas de celo corporea specie descenderit? de filio dei et angelis scimus, quod temporibus veteris fœderis, visibilem et corpoream quandoque susceperint speciem, et hi erant substantiæ, virtutem autem et qualitatem corporea specie adparuisse nusquam legimus. Iac. I, 7. quidem dicitur, quod omne donum perfectum a patre luminum descendat, sed non legitur, quod descendat externa et corporea quadam specie indutum.

§. V.

Fortius confirmant personalitatem spiritus sancti; operationes, quæ illi tribuuntur personales. Docemur enim, spiritum sanctum *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Rom. VIII, 26. Ipse voluntatem dei hominibus reuelat, atque ad homines loquitur more personæ. Petro dixit spiritus: *ecce viri tres querunt te. Surge itaque et descende et vade cum eis, nihil dubitans, quia ego*

*misi illos, Actor. X, 19. 20. dixit item spiritus ad doctores et prophetas Antiochenos: segregate mihi Paulum et Barnabam in opus ad quod adsumpsi eos, Actor. XIII, 2. Christus de spiritu sancto ita loquitur ad discipulos suos: paracletus, spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia; ille testimonium perhibebit de me - - cum venerit, arguet mundum de peccato, et ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur de semetipso; sed quaecumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt, annunciabit vobis, ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annunciabit vobis, Ioan. XIV, 26. XV, 26. 27. XVI, 7. 8. 13. 14. quæ verba nihil aliud sunt, quam totidem descriptiones personæ alicuius audientis, accipientis, testantis, loquentis, arguentis, docentis. Hæc tam clara sunt, vt aduersarii negare haud queant, spiritui sancto passim in scripturis proprietates et operationes personales tribui, excipiunt autem: vsitatum esse, vt in scriptura sacra propria personarum tribuantur rebus, quæ personæ non sunt. Apostolum enim dicere: *charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur - - non cogitat malum, non gaudet super iniquitate - - omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, 1 Cor. XIII, 4. 5. 6. 7.* Faustus Socinus contra Vieckum, cap. 10. dicit: spiritui sancto per prosopopeiam adscribi proprietates et operationes personales, quomodo dicitur: cælum enarrare gloriam dei, legem arguere peccatum, occidere &c. Sed quis non videt, quod scriptura metonymice loquatur, et adiunctum pro subiecto ponat, quando de charitate dicit, quod patiens et benigna sit, quod credat, speret, gaudeat. Persona charitate affecta, virtute charitatis patiens est, credit, sperat &c. Scripturam equidem nonnunquam*

nunquam per profopopœiam rebus inanimatis, quæ animatarum sunt propria tribuere, non abnuo; sed tamen ita, vt alibi proprie de rebus differat inanimatis, et ex parte tantum, vnum vel alterum personæ attributum rebus tribuat inanimatis: at de spiritu sancto loquitur vniformiter et semper tanquam de persona. Sic etiam spiritus sancti operationes comparatæ sunt, vt nunquam ostendere possint aduersarii, eas ipsas, vt intercedere pro aliquo, dicere: separate mihi, quos ego vocaui ad opus, competere non personis. Regerunt tamen: patrem esse, qui hæc verba loquatur, qui item Barnabam atque Paulum segregauerit; at cum hoc fecerit potestate aliqua in se residente, quæ est ipsius spiritus, inde hæc verba et has actiones tribui spiritui sancto. Verum si omnes operationes et actiones personales spiritui sancto tributæ procederent a persona dei patris, iuxta virtutem in ipso residentem, responsio videri posset sufficiens; sed spiritui sancto eiusmodi actiones personales adscribuntur, quæ nequeunt attribui personæ dei patris, quasque pater per virtutem in se residentem præstare, dici non potest, vt sunt postulare pro sanctis secundum deum, venire ad homines vt missum a patre, loqui non a semet ipso; sed quæcunque audiet: vid. PEARSONIVS *exposir. symb. apostol.* p. 547. sq.

§. VI.

Baptizamur tandem secundum christi mandatum non minus in nomine patris et filii, quam spiritus sancti, hoc est illorum iussu et auctoritate, quæ æqualis proponitur, vel vna potius trium eorum. Si itaque pater et filius baptismi auctores hac phrasi designantur, cur illa de spiritu sancto valere haud debeat, non video. Sed infringere hoc argumentum alio, contendunt

dunt aduersarii. Si persona, dicunt, id esse videatur, cuius nomine, vel in cuius nomen baptizamus, id, quo baptizamus, persona tamen esse nequit; christi fideles autem spiritu sancto baptizari, dicitur *Matth. III, 11. Actor. I, 5. 1 Cor. XII, 13.* ergo liquet ne, spiritum sanctum personam non esse? respondeo: sic christus etiam, quem induere iubemur, et quo ceu pane vitæ alimur, *Rom. XIII, 14. Ioan. VI, 41.* non esset persona. Vox spiritus sanctus non semper sumitur ὑποστατικῶς; sed etiam μετωνομικῶς, et baptizari spiritu sancto; quid aliud est, quam gratia et donis spiritus sancti locupletari? interim tamen is quoque persona esse potest, cuius gratia et dona in nos conferuntur. Dicunt porro: etiam si pater, filius et spiritus sanctus sint coniuncti in baptismo, effici tamen non potest, eos personas esse in vna essentia diuina: nam in scripturis minime nouum est, in aliis rebus, non minus quam baptismo, diuinis, deo coniungi personas et res, quæ ad essentiam dei nullo modo pertinent, *1 Sam. XII, 18. Actor. XX, 32. Ephes. VI, 10.* Sed cum baptismus fœdus sit, *1 Pet. III, 20.* quod, dum baptizamus cum deo initur, non perspicio, quomodo fœdus cum non persona iniri et obsequium qualitati promitti possit; nec mea capit ratio, quomodo qualitas seu virtus aliquid spondere, promittere et dona spiritualia largiri capax sit. Ad locum *1 Sam. XII, 18.* respondendum: pii deum, et ipsius legatos honorant, sed non pari gradu: prophetis honorem exhibent propter deum et respectu ipsius, quoniam legati dei sunt. *Actor. XX, 32.* per verbum ipsum christum, dominum nostrum, cum præstantissimis interpretibus intelligimus, et ad *Ephes. VI, 10.* dicendum, quod vna cum deo, virium, quas nobis porrigit mentio bene fieri possit.

fit. Potentia etiam diuinæ virtutis eadem cum deo realiter est. Ad obiectionem aduersariorum denique, quod ea, quæ spiritui sancto passim in scripturis attribuantur, vt sunt, quod detur, quod accipiatur, quod secundum mensuram detur et effundatur, nulla prorsus ratione personæ conueniant, facilis est responsio. Christus etiam est a deo datus *Ies. IX, 6. Ioan. III, 16.* et a fidelibus accipitur *Ioan. I, 12. Coloss. II, 6.* et tamen est persona; dari posse et personam esse, nullam inuoluit contradictionem. Adde, quod in omnibus hisce locis ad spiritus sancti dona pariter respiciendum sit. Sufficiant hæc quæ pro adstruenda personalitate spiritus sancti adduximus. Ad alterum igitur progredimur membrum et asserimus, quod spiritus sanctus diuina sit persona, verus Iehoua et supremus deus.

§. VII.

Sequenti autem diuinitatem spiritus sancti probamus argumento: cui in sacris litteris diuina adscribuntur nomina, attributa, opera, diuinus item honor cultusque, ille est verus deus. Atqui. Ergo. Nomen dei adscribitur spiritui sancto variis in locis, tam veteris, quam noui testamenti. Peculiare nomen dei in veteri codice Iehouam esse, notum est; hoc autem competit spiritui sancto. Patemur quidem, quod nusquam expressis verbis legitur: *spiritus sanctus est Iehoua*, tamen ille, qui alicubi spiritus sanctus, eodem loco, vel in loco parallelo Iehoua et deus adpellatur. Accedit, quod iisdem in locis ea de spiritu sancto prædicantur, quæ citra controuersiam de non Iehoua prædicari non possunt. Ille, qui se *Pf. XCV, 9. 10. 11.* a maioribus iudeorum tentatum probatumque in deserto dicit, postquam experti essent opus suum; qui iurauit, non ingressu,

gressuros illos esse in requiem suam, dubio procul summus deus est et Iehoua: idem autem ille est, qui v. 7. 8. dicit: *hodie, si vocem eius nempe filii dei audietis ne obduretis animum vestrum*, et hic, qui loquitur est spiritus sanctus apostolo Paulo teste *Ebr. III, 7.* Nemo inficias ibit, quod Iehoua Israelitas in deserto duxerit *Deut. XXXII, 12.* hunc Iehouam exacerbarunt rebellione sua *Exod. XVII, 7. Ies. LXIII, 10.* dicitur: *ipsi rebellarunt et dolore affecerunt spiritum sanctitatis eius.* Idem Iesaias vates, cello folio infidentem vidit Iehouam, ex cuius ore audiuit verba: *dic populo isti, audite, at non intelligatis, Ies. VI, 9.* sqq. Paulus vero docet *Actor. XXVIII, 25. 26.* *bene sane spiritus sanctus locutus est per Iesaiam prophetam, patribus nostris, dicens; vade ad populum istum &c.* In nouo testamento expressis verbis spiritus sanctus, deus, nominatur *Actor. V, 3. 4.* Petrus dixit: *Anania, cur Satan impleuit cor tuum, mentiri spiritui sancto? non mentitus es hominibus: sed deo.* Regerunt quidem aduersarii: non dici, quod mentitus sit Ananias spiritui sancto; sed spiritum sanctum, quod significare possit, spiritum sanctum simulare, præ se ferre, quasi quis habeat spiritum sanctum; sed græci suum *ψευδαδαι* construunt indiscriminatim cum datiuo et accusatiuo, vide exempla in *WITSII exercit. in symb. apostol. p. 333.* nusquam vero scripturis *ψευδαδαι* fingere, seu videri velle, significat. Excipiunt alio modo: Ananiam spiritui sancto mentitum esse, quia apostolis mentiebatur, in quibus erat spiritus sanctus, et ex eo non magis inferri posse, spiritum sanctum esse deum, quam apostolos deum esse ex *I Thessal. IV, 8.* verum in loco hoc apostoli talis non est oppositio, qualis in Petri verbis: non mentitus es hominibus, sed deo; neque prætermittendum, quod expresse dicatur

dicatur Ananiae vxor *πειρασαι*, tentare spiritum sanctum; solus autem deus tentatur. Vid. quæ solide de hac controuersiam disputat PEARSONIVS in *exposit. symbol. apostol.* p. 561. 2Cor. VI, 16. inquit apostolus: *vos estis templum dei vini, sicut dicit deus: inhabitabo in illis; rursus idem gentium doctor, credentes in christum, templum spiritus sancti esse docet: nescitis quia templum dei estis et spiritus dei habitat in vobis, 1Cor. III, 16.* nonne ergo spiritus sanctus ex collatione horum locorum expresse deus adpellatur?

§. VIII.

Confirmant porro, quæ spiritui sancto competunt et in scripturis tribuuntur attributa diuina, quod vere ac proprie deus sit; diuina enim attributa, diuinæ naturæ propria sunt, ac consequenter nulli adscribi possunt, nisi ad quem diuina natura pertinet. Primo autem occurrit, æternitas spiritus sancti, de qua Paulus *Ebr. IX, 14. christus per spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum deo.* Habemus hic sacerdotem, qui est christus, potissimum secundum diuinam naturam, siue vt cum apostolo nostro dicam, secundum vim indissolubilis vitæ, *Ebr. VII, 16.* Designatur victima, qui est idem christus, secundum humanam præcipue naturam, in qua passus et mortuus est, *Ebr. IX, 13.* et mysticus denique ignis, qui est spiritus sanctus, sanctificans victimam et gratiam præstans deo: conf. *Leuit. IX, 23. 24. cap. VI, 12. Dan. VII, 10. Rom. XV, 16.* Spiritus sanctus est etiam in deo, *1Cor. II, 10. 11.* et a deo procedit, *Ioan. XV, 26.* Si autem in deo est, seu natura in deo, vti ipsi fatentur Sociniani, et a deo procedit, sequitur, quod semper fuerit. Alterum attributum est immensitas et omnipræsentiâ, *Pf. CXXXIX, 7. quo ibo a spiritu*

ritu tuo, et quo a facie tua fugiam? huc pertinet, quod in cordibus fidelium, ceu in templo habitare et hoc templum implere dicitur. *1 Cor. III, 16. Actor. II, 2.* Nemo sane siue in scripturis, siue in consuetudine, plenus creatura dicitur. *Soli diuinæ naturæ conuenit hic sermo,* inquit DIDYMVVS *lib. I. de spiritu sancto.* Idem argumentum vrget AMBROSIVS *lib. I. de spiritu sanct. cap. 7.* Creaturam omnem certis limitibus circumscriptam esse docet: spiritum vero sanctum in omnibus et vbique semper esse, quod apostolorum confirmat exemplo. *In-* circumscriptus igitur, inquit, *et infinitus spiritus sanctus, qui se discipulorum sensibus per separatarum diuortia discreta regionum, remotosque fines totius orbis infundit, quem nihil potest præterire vel fallere.* Adde omniscientiam; spiritus enim *ϰαθ'ολον* scrutatur; immo etiam *τα βυθων τῆ θεῶν*, profunditates dei, *1 Cor. II, 10. 11.* Obiicies, ad hunc locum: qui scrutatur, non est verus ac summus ac perfectissima notitia ipsi primo inest. Sed distinguendum inter scrutari, quando proprie, et quando tropice accipitur, de deo autem in secundo significato expresse dicitur: quod corda et renes scrutetur. AMBROSIVS *de spiritu sancto, lib. II. cap. II.* scribit: *similiter ergo scrutator est spiritus sanctus ut pater, similiter scrutator ut filius, cuius proprietate sermonis id exprimitur, ut videatur, nihil esse, quod nesciat, quem nihil præterit.* Docet hinc omnia et de omnibus, *Ioan. XIV, 26. in omnem ducit veritatem, Ioan. XV, 13. nemo eum instruit, Ies. XL, 13. ipse vero instruit omnes, ceu spiritus sapientiæ, intelligentiæ et scientiæ, Ies. XI, 1. 2. Ephes. I, 17.* Accedit omnipotentia et liberrima voluntas eius, quando dicitur *digitus dei, Luc. XI, 20. collat. cum Matth. XII, 26. virtus et poten-*
tia

tia dei, *Luc. XXIV*, 49. *spiritus patientia*, *Ies. XI*, 2. *Aētor. X*, 38. *distribuit simul singulis dona sua, prout vult*, *i Corinth. XII*, 11.

§. IX.

Tribuuntur spiritui sancto non minus diuina opera. In regno naturæ creatio et conseruatio, *Pf. XXXIII*, 6. *celi per verbum domini facti sunt, et omnes illorum exercitus per spiritum oris eius: conf. Genes. I*, 2. *Iob. XXXIII*, 4. *Ies. XL*, 12. 13. In regno autem gratiæ is est, cuius operatione christus in utero virginis conceptus et virtute conceptionis eius, filius dei dictus est, *Luc. I*, 35. Misit seruatorem nostrum, *Ies. XLVIII*, 16. qui illo vnctus est, *Pf. XLV*, 8. *Ies. LXI*, 1. *Matth. III*, 16. Alia eiusmodi opera diuina ad credentes pertinent; regenerationem enim nostram operatur, vti seruator ait *Ioan. III*, 5. 6. *nisi quis fuerit genitus ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum dei.* Et subinde: *sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* Quem locum **CYRILLVS** Alexandrinus in thesauro assertionum xxxiij. cum altero eiusdem euangelistæ comparans: *qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis; sed ex deo nati sunt*, cap. 1. et recte colligit spiritum sanctum esse deum: *conf. Tit. III*, 5. *illuminat nos*, *Ephes. I*, 17. *sanctificat nos*, *Ezech. XXXVI*, 27. *Rom. I*, 4. *i Cor. VI*, 11. 2 *Theff. II*, 13. 16.

AMBROSIVS lib. 1. de spiritu sancto, cap. 5. inquit; *creatura sanctificatur; sanctificat autem spiritus sanctus - - non ergo potest sanctificatio et corruptela vnus esse naturæ; et ideo non potest gratia sancti spiritus, et creatura vnus esse substantiæ.* Itaque cum omnis inuisibilis, præter trinitatem, reliqua natura, cuius rationabilem et incorpoream iure quidam substantiam putant, non impertiat, spiritualem gratiam, sed adquirat; nec participet, sed assumat; sepa-

randa est utique a societate spiritus sancti communitas creaturæ: vid. etiam PASCASIVS lib. I. de spiritu sancto, cap. II. Alia ecclesiæ concernunt constitutionem ac directionem, quam diuinæ maiestatis atque potentia opus esse, nemo negauerit, *Actor.* VIII, 29. 39. XIII, 2. 4. XX, 28. Spectat huc etiam, quod spiritus sanctus is sit, qui per Moysen atque prophetas loquutus est, *Exod.* IV, 12. 2 *Sam.* XXIII, 2. 3. *Ies.* VI, 7. collat. *Actor.* I, 16. XXVIII, 26. Miracula denique, quod solius dei opus est, patrat. Christus enim aperte dicit, quod dæmonia seu spiritus infernales per spiritum sanctum eiiciat, *Matth.* XII, 28. conf. *Rom.* XV, 19. 1 *Cor.* XII, 9. 10.

§. X.

Debetur tandem spiritui sancto diuinus honor ac cultus religiosus. Concedo quidem, quod nusquam, spiritus sanctus est adorandus, in sacro codice expressis verbis legatur; sed exinde haud sequitur spiritum sanctum non adorandum esse. AVGVSTINVS huic argumento a Maximino proposito respondens ait: *ex iis que legimus, aliqua etiam, que non legimus intelligimus; et GREGORIVS Nazianzenus orat. xxxvii. de spiritu sancto: rursus, vndenam tu voces illas tuas, ingentium et anarchum accepisti? Hoc expresse et nominatim ostende, ac ea vel reiciemus, quia in scriptura non extant, vel expungemus. Nonne perspicuum est, hæc de iis sumta esse ex quibus colliguntur, tamen si minime dicantur? Baptizare iubet christus in nomine spiritus sancti pariter ac patris et filii. Hic honor plane diuinus est. Si enim in nomine spiritus sancti baptizandi sumus, agnoscere debemus, quod spiritus sanctus huius sacramenti auctor sit, eique confidere, ut illi qui rem sacramento significatam conferre ac prestare potest, nosque eidem sacramento in obsequium dare et in illum credere;*

dere; quæ omnia adeo sunt comparata, vt in creaturam cadere nequeant. Competit omnino spiritui sancto adoratio: Seraphini celebrant sanctitatem eius, *Ies. VI, 1-10.* coll. *Actor. XXVIII, 25.* inuocatio et preces; præceptum enim habemus iesu christi clarum, *Matth. IX, 31. rogate dominum messis, vt mittat operarios in messem.* Spiritum sanctum vero dominum messis esse ex *Actor. XIII, 2.* recte colligimus. Notissimum etiam est exemplum Pauli, *2 Cor. XIII, 13.* vbi gratiam a domino iesu christo, et charitatem a deo patre et communicationem sui a spiritu sancto petit. Nec abludit Ioannis votum, *Apocal. I, 4. 5.* de quo WITSIVS *loc. cit. §. 30.* legi meretur. Solus porro deus a nobis postulare potest, vt corda nostra ceu templa illi consecremus, et in templo cultus soli deo fieri exercetur; atqui credentes templum spiritus sancti sunt, *1 Cor. XIII, 16.* et *VI, 19.* Pathetica hic plane est AVGVSTINI oratio *lib. 1. contr. Maxim. num. 11.* *nonne si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate christi, et ab ecclesia dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quæ vni tantum debetur deo? Si eo sacrilegi essemus faciendo templum cuiusque creaturæ, quomodo non est deus verus, cui non templum facimus; sed nos ipsi templum sumus.* Religiosam erga spiritum sanctum virget obedientiam apostolus, *Ebr. III, 7. 8. 9.* ad eum tanquam testem ac vindicem prouocandum esse, exemplo docemur ipsius Pauli, *Rom. IX, 1.* Plura argumenta pro cultu religioso spiritui sancto debito proponit LAMPE *dissert. III. de spiritu sancto, p. 10. sq.*

§. XI.

Hæc omnia luculenter satis euincunt, quod spiritus sanctus, summus omnino sit deus. Duo tamen ad-

huc argumenta pro deitate spiritus sancti proferre liceat. Primum hoc est: solus deus per peccata et legis transgressionem tentatur, cum ei soli, ceteri supremo legislatori debeamus obedientiam; spiritum sanctum autem tentatum esse ab Anania et uxore eius, *Actor. V. 9.* et ab Israelitis *Ebr. III. 7. sqq.* legimus; et quam graues propter hæc peccata Israelitæ et Ananias cum uxore Saphira poenas tulerint, satis notum est. Aliud quoque est peccatum in spiritum sanctum proprie sic dictum, et hoc irremissibile, vti ex *Matth. XII. 31. 32.* scimus. Si autem spiritus sanctus, summus ille non est deus, quæ causa dici potest, cur peccatum aduersus illum commissum, tantæ diritatis et atrocitatis esse censeatur, tamque seuerè puniatur? Alterum ex *Exod. XXXIV. 34.* et collat. *2 Cor. III. 15. 16. 17.* desumitur. Scriptum reliquit Moses, quod ingressus ad dominum, et cum illo sermonem habens, abstulerit velamen a facie sua, donec exiret. Dominus ille, quocum Moses loquebatur, erat vnicus ille Iehoua, deus cæli et terræ; spiritum sanctum autem illum fuisse, apostolus nos docet: *dominus spiritus ille est.*

§. XII.

Confirmata spiritus sancti summa diuinitate, restat, vt ostendamus, personam illum a patre et filio distinctam esse. Quamuis itaque scriptura, patrem, filium et spiritum sanctum vniat in natura et essentia, distinguit tamen in personis. Non solum enim spiritus sanctus distinctè recensetur, *Hagg. II. 5. 6. Matth. XXVIII. 19. 2 Cor. XIII. 19.* presque númerantur, qui testimonium perhibent in cælo, *1 Ioan. V. 7.* sed multis in locis distinctè a patre et filio distinguitur. A patre procedit, *Ioan. XV. 26.* alius autem est procedens, alius a quo proce-

procedit; ergo spiritus sanctus non est pater: spiritus sanctus accipit de iis, quæ sunt filii, et ea accipiendo filium clarificat; de se ipso autem aliquid accipere, et se ipsum aliquid accipiendo clarificare, de nulla persona dici potest; ergo spiritus sanctus non est filius. *Rogabo, inquit seruator noster, patrem, et alium paraclatum vobis dabit, vt maneat vobiscum in æternum, nempe spiritum illum veritatis, Ioan. XIV, 15. 16. 26. collat. Eph. II, 18. Galat. IV, 4. 5. 6.* Sed cum hæc nota satis sint; ad alteram progrediamur sectionem.

SECTIO II. POLEMICA,

in qua quedam potiora aduersariorum et pneumatomachorum argumenta contra diuinitatem spiritus sancti recensentur et profligantur. Suntque alia petita ab antiquitate ecclesiastica, alia ex ratione desumpta, alia ex scriptura sacra deprompta.

§. XIII.

OBIICIUNT aduersarii, quod patres ante-Nicæni eadem cum ipsis, vt Sandius probare annitur, docuerint, et spiritum sanctum pro diuina persona in scriptis suis non agnouerint. Quamquam vero patres ante-Nicæni incaute sæpe de spiritu sancto, vt et de filio locuti fuerint, cuius rei causas **BVD. DEVS** in *theol. dogmat. lib. II. cap. I. p. 444. sq.* adfert, et fortiter patres defendit, grauiter tamen patres quosque apostolici et ante-Nicæni de spiritus sancti diuinitate testati sunt, et quam male suam causam in tam clarissima testimoniorum antiquissimorum luce tueri possint, pneumatomachi mox videbimus. **CLEMENS Romanus epist. I. ad Corinth. cap. 46.** ad concordiam exhortatur

hortatur hoc argumento: nonne unum deum et unum christum habemus? nonne vnus est spiritus gratie, qui super nos effusus est? **IGNATIVS** in *epist. ad Ephes. cap. IX.* scribit: *vt qui lapides situs templi patris, preparari in dei patris edificium, sublati in altum per machinam iesu christi, quæ est crux, spiritu sancto pro fune vtentes.* De **POLYCARPO** refert **EVSEBIVS** ex *epistol. frat. Smyrnæorum*, quod in *histor. eccles. lib. IV. cap. 4.* quum pro christiana religione supplicium fusciperet; eximiam hanc de trinitate ediderit confessionem: *quamobrem de omnibus te laudo, tibi benedico, te glorifico, per sempiternum pontificem, iesum christum, unigenitum filium tuum, per quem tibi vna cum ipso in spiritu sancto gloria nunc et in secula seculorum, amen.* Excipiunt pneumatomachi, hanc precatiunculam plus obesse, quam prodesse, propterea quod Polycarpus non dicat: cum spiritu sancto, vel et spiritui sancto, sed in spiritu sancto; phraseologiam vero in spiritu sancto nullam adhuc complexionem in vnam gloriæ communionem denotare. Nam et *Ephes. VI, 18.* in spiritu orare docemur, sine vlla æqualitatis cum patre nota. Sed phrasi in vno spiritu orare non significatur spiritus sanctus; sed spiritus noster, gratia quidem spiritus sancti adiutus: vt idem sit in spiritu orare, quod in corde, hoc est sincero cordis affectu, *cap. V, 19.* vid. quæ ex **BASILIO** de phrasi in et cum spiritu, annotauit **NATALIS ALEX.** in *hist. eccles. tom. IV. p. 530.* item **DION. PETAVIUS** in *theol. dogmat. rom. II. lib. 2. cap. 6. p. 39.* Aliis etiam testimoniis probari potest, Polycarpum et catholicos, qui coæui fuerunt, credidisse, spiritum sanctum esse personam diuinam a patre et filio distinctam, hoc est, eiusdem maiestatis, imperii atque honoris cum patre et filio consortem. Sic enim fratres

fratres Smyrnæi, epistolam suam de Polycarpi martyrio claudunt: optamus vos fratres in domino valere, inherentes præceptis et euangelio iesu christi: cum quo gloria et honos deo patri et sancto spiritui, ob salutem sanctorum electorum. Huic plane affinis est *δοξολογία* comitum IGNA-TII sub finem act. martyr. S. Ignatii: glorificantes in ipsius venerabili et sancta memoria dominum nostrum iesum christum: per quem et cum quo patri gloria et omnipotentia cum spiritu sancto in sancta ecclesia in secula seculorum, amen: vid. BVLLI defens. concil. Nicæn. p. 55. sq. vbi rationem quoque inueniet lector, cur veteres phrasi in spiritu sancto in *δοξολογίαις* suis vsi fuerint. Agnouit et confessus est pariter personalitatem et diuinitatem spiritus sancti IRENAEVS, qui in libro IV. cap. 14. de filio sic loquitur: ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo et vere deus, a patre, a spiritu, ab angelis; et paulo post: vnus deus pater, vnus filius et vnus spiritus sanctus; et cap. 37. adest enim ei (patri) semper verbum et sapientia, filius et spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: vid. BVLLVS loc. cit. p. 82. et 83. IUSTINVS martyr luculenter et expresse spiritui sancto tribuit adorationem: hunc ipsum (patrem) - - - filium et spiritum propheticum colimus et adoramus, ratione et veritate venerantes; apolog. I. pro christian. cap. 6. Addimus hisce ATHENAGORAM, eiusdemque confessionem: quis igitur non miretur, nos qui deum patrem prædicamus, et deum filium, et spiritum sanctum, ita vt vniõnis eorum vim et ordinis distinctionem exponamus, impios et sine deo homines vocari? in legat. pro christian. cap. X. Deum porro asserimus, inquit cap. XXII. et filium ipsius verbum et spiritum sanctum virtute vnitos,

K

parrem,

patrem, filium et spiritum sanctum. Eandem corroborat TERTVLLIANVS veritatem, clarissimis verbis: ecce enim dico, inquit, alium esse patrem, alium filium et alium spiritum sanctum; aduers. Praxeam, cap. IX. CLEMENS Alexandrinus dicit: vnus est vniuersorum pater: vnum est vniuersorum verbum et spiritus sanctus vnus, et ipse est vbi-que; lib. I. paedagog. Plura collegerunt effata sancta antiquioris ecclesiae NATALIS ALEX. *histor. eccles.* tom. IV. p. 528. sq. FORBESIVS A CORSE in *instruct. histor. theol.* lib. I. cap. 23. p. 37. BALTH. BEBELIVS *antiquit. eccles.* sec. III. p. 666. BENED. PICTETVS tom. I. *theol. christ.* lib. III. cap. 20. p. 212. sq. OEDERVVS in *catechesi Racou.* p. 678. sq. conf. quoque GARDINERIVS *contra Sandium*: GEORG. BVLLVS in *defens. fid. Nic.* et quos recenset IO. ALB. FABRICIVS in *bibliotheca graec.* tom. VIII. p. 312.

§. XIV.

Alio contra veritatem insurgunt argumento et quidem ex symbolo, quod apostolicum vocamus, defumto. Sic enim WOLZOGENIVS in declaratione sententiae de trinitate scribit: si ex symbolo isto colligi deberet, spiritum sanctum esse deum summum, aut saltem personam aliquam, debuisset in specie fides ista in spiritum sanctum, quid de eo credendum sit, declarari, quem admodum circa duas personas, patrem et filium factum est, et non iis rebus accenseri, quae personae non sunt, atque inter eas reponi. Et credibile plane non est, rem tanti momenti et ad salutem necessariam non clarius proponendam fuisse, ut saltem dei nomen adiceretur: credo in deum spiritum sanctum. CRELLIVS de vno deo patre dicit: quod ea ratione in spiritum sanctum secundum significationem huius symboli credere debeamus, qua et in ecclesiam catholicam, credendum esse,

credere, nihil aliud sit, quam aliquem, vel alicui credere, in qua sententia et **PEARSONIVM** in *exposit. symb. apostol.* esse video p. 23. sq. et p. 43. qui $\tau\theta$ credere in deum, ait, satis puto explicari, per credo deum existere. Verum talia sunt prædicata, qualia permittuntur a suis subiectis, et quamuis in symbolo legatur: credo in vnam catholicam ecclesiam dei, similiter ac credo in spiritum sanctum, hæ propositiones tamen vno eodemque modo explicari haud possunt. Accedit, quod particula $\epsilon\iota\varsigma$ in textu græco non eandem semper habeat significationem, vid. **STOCKII** *lexic. græc.* et in lingua latina nunquam dicatur: credo in ecclesiam catholicam vel vitam æternam.

§. XV.

Opponitur iterum, quod non solum in symbolo apostolico, sed etiam in Nicæno, confessio de spiritu sancto brevissima sit, et ille nec in hoc deus vocetur. Facili autem negotio causâ intelligi et monstrari potest, notatuque dignissima sunt, quæ ad refellendam hanc objectionem, **GEORGIUS BVLLVS** in iudicio *eccles. cathol. cap. vi. p. 57.* annotauit: *neque vero alia adiectione, inquit, opus fuit; (loquitur autem de symbolo Romano) siquidem præter illam gnosticorum (que etiam non tam ipsi spiritui sancto, quam legi et prophetis directam contumeliam fecit) nulla alia heresis vsquam exorta est, que dignitatem spiritus sancti ex professu atque aperto Marte labefactatum iuerit, ante Macedonium, contra cuius blasphemiam mox a patribus Constantinopolitanis prouisum fuit. Arius quidem negando filii diuinitatem, consequenter etiam spiritus sancti maiestatem magis negauit: neque enim adeo desipere potuit hereticus, ut filio spiritum sanctum antepone-
ret;* (adeoque ab Epiphanio, Ambrosio et Augustino accusatur,

tur, quod spiritum sanctum, creaturam creature dixerit) verum in hac heresi propugnanda operam suam minime posuit; unde neque synodus Nicæna contra ipsum quicquam de spiritu sancto definiuit. Immo ne ipsum quidem Constantinopolitanum concilium, Oecumenicum secundum, quod aduersus Macedonianorum et pneumatomachorum hæresin præcipue collectum est, deum aperte in symbolo suo nominasse spiritum sanctum, PETAVIUS monet, in *theol. dogmat. tom. II. lib. I. cap. 14. p. 64.* de illo enim hoc vnum posuit: et in spiritum sanctum, dominum viuificantem, qui ex patre procedit: qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur. Sed his verbis diuinitatem eius satis demonstratam esse in apertico est. Addit etiam PETAVIUS, quod Constantinopolitani patres isti plura et disertiora locuti sint in epist. synodica ad Damasum. Quibus consentanea decreuerit synodus Romana, in qua Macedoniani damnantur et spiritus sancti diuinitas plena professione sancitur.

§. XVI.

Ex ratione quoque sumunt arma, quibus contra trinitatem et sic etiam diuinitatem spiritus sancti pugnant aduersarii. Sic CRELLIUS de vno deo patre, lib. II. sect. I. cap. I. argumentatur. pater est deus, filius est deus, spiritus est deus; iam vero, ubi tres sunt personæ realiter inter se distinctæ, quarum qualibet sit deus summus, ibi tres dii summi sunt. Iterum: vnus deus est pater; filius, vel spiritus sanctus est vnus ille deus; ergo filius vel spiritus sanctus est pater. Et cap. 2. qualibet persona diuina est deus ille vnus; ergo qualibet persona diuina est trina in personis. Porro: quicumque sunt pater, filius et spiritus sanctus, illi sunt alius, alius et alius. Atqui. Ergo. Plura eiusmodi argumenta leguntur in SCHLVSSELBVR-

GII catalogo heretic. libr. 1. Sed vt breuiter ad illa respondeamus, probe obseruandum est, quod in mysteriis indagandis nihil valeat, et illorum inprimis cognoscere modum, non queat: ratio sibi relicta. A principio arithmetico certe ad ipsam essentiam dei et personarum trinitatem non valet consequentia. Clarissima extant dicta, in quibus expresse dicitur: quod vnus sit deus, pater, filius et spiritus sanctus, et quod hi tres vnum sint, adeo quidem, vt a se inuicem non ratione essentiae, sed personarum, distinguantur. Vox deus in duplici sumitur significato. Sumitur vel essentialiter, pro essentia diuina omnes tres personas complectente, vt iam monuimus, vel abstrahente a relationibus personalibus; vel personaliter pro certa diuinitatis persona: et vt rem expriment alii, iam pro concreto absoluto, iam pro respectiuo. Hæc, qui probe considerat, facili modo ad adducta argumenta respondere poterit.

§. XVII.

Ad illa denique argumenta, quæ ad impugnandam spiritus sancti diuinitatem ex scriptura sacra hauriunt aduersarii, animum intendimus. Multa illorum congesserunt FAVSTVS SOCINVS in *responsionibus suis ad Vieckium*, IO. CRELLIUS *de vno deo patre*, item in *tractatu de spiritu sancto*, WOLZOGENIUS in *duarum contrariarum sententiarum declaratione, de vno deo patre*, aliique. Vnum alteramue autem ex iam nominatis auctoribus in medium proferamus ac diluamus. Obiiciunt: spiritum sanctum dici *dei virtutem*, *Luc. XXIV, 49.* collat. *Actor. I, 1. 4. 5. 8. II, 4. et X, 48. Luc. I, 35. I Cor. II, 4.* ergo illum non esse summum deum vel personam diuinam. Non diffitemur, spiritum sanctum dei virtutem adpellari, tamen ex dictis allatis haud probant Sociniani, quod volunt. Si enim rem accurate expendimus, facile perspicimus, quod in omnibus hisce allegatis locis spiritus sanctus a potentia distinguatur. *Luc. XXIV, 49.* enim, virtus ex alto non notat immediate spiritum sanctum, sed magnitudinem illam animi, qua instruendi erant apostoli, cuius originem spiritum sanctum esse innuitur, dum dicitur, ex alto venire. *Actor. I, 8.* Christus promittit discipulis *δυναμιν ἐπιθεῖν ὑμῖν τῆ ἀγίας πνεύματος*, id est, virtutem, quam nanciscemini a superueniente vobis spiritu. Nec repugnantia sunt, quod spiritus sanctus persona et diuina persona, et virtus sit, quia filius dei etiam virtus dei nominatur, *I Cor. I, 24.* immo et Simon magus a suis *ἡ δυναμὶς θεῶν ἡ μεγάλη* dictus est, *Actor. VIII, 10.* Ex *Luc. I, 35.* argumentantur: si spiritus sanctus est diuina persona, christus eius erit filius, propter conceptionem a spiritu sancto. Sed negatur consequens, Spiritus sanctus nec est pater iesu christi secundum

cundum diuinam naturam, quia potius essentiam a filio comuni-
 catam habet, nec quoad humanam, siquidem obumbratio spiritus san-
 cti et conceptio christi miraculosa, aliud quid profus sit, quam gene-
 ratio more humano. Dicunt iterum, partitionem spiritus sancti ar-
 guunt dicta *Num. XI, 14. 25. 2 Reg. II, 9. 1 Iob. IV, 13.* Deus autem non
 habet partes. Verum facilis est responsio: dona spiritus sancti diuisa
 sunt, spiritus sanctus auctor donorum est indiuisus. Cur autem, obi-
 ciunt, spiritus sanctus non semper coniungitur cum ceteris personis?
 cur solus pater dicitur verus deus, sine vlla mentione spiritus sancti,
Iob. XVII, 3. qui illis Achilles est locus? sed pari ratione quaeritur: cur
 patris, *Gal. III, 27.* non fit mentio? eiusmodi coniunctio omnibus in
 locis hand necesse est: sufficit, quod illam *Matth. XXVIII, 19.* aliisque
 in locis habeamus. Ex dicto *Matth. XI, 27.* nemo nouit filium, nisi
 pater; neque patrem quis nouit, nisi filius, et cui filius voluerit reuelare,
 argumentatur: quomodo hoc verum esset, si spiritus sanctus esset per-
 sona diuina, a patre et filio distincta, et vtrique per omnia equalis?
 nam et filium nosset quispiam praeter patrem, et patrem praeter fi-
 lium, nempe spiritus sanctus et nosset quidem sine vlla alterius reuelatione.
 Sed sermonem hic esse de notitia hominum in aprico est. Chri-
 stus enim *v. 25.* gratias agit patri, domino caeli et terrae, quod ea, quae
 scitu credituque ad salutem necessaria erant, paruulis reuelauerit, *conf.*
Luc. X, 21. 1 Cor. I, 27. et deinde dicit: nemo ex propriis naturae viri-
 bus et propria sapientia sine reuelatione, patrem et filium cognosce-
 re potest. Deus autem reuelat non solum per filium, sed etiam per spi-
 ritum sanctum, qui est spiritus veritatis, et ducit in omnem veritatem;
 expresse etiam de spiritu sancto dicitur *1 Cor. II, 11.* nemo nouit ea, quae
 sunt dei, nisi spiritus dei. Regerunt: spiritus sanctus tamen non loqui-
 tur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, *Ioan. XVI, 13.* respon-
 deo: nonne loqui et audire personae et non efficaciae vel virtuti compe-
 tunt? nonne spiritus sanctus a patre et filio procedit? nonne christus
 de se ipso etiam dicit, *Ioan. XIV, 10. 24.* verba, quae loquor ego vobis, et
 me ipso non loquor, et sermo, quem auditis, non est meus, sed eius, qui mi-
 sit me, patris? collat. cum *Ioan. V, 30.* nonne pari ratione de spiritu S.
 dicit: *paracletus autem ille, qui est spiritus S. quem spiritum mittit pa-
 ter nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecum-
 que dixi vobis?* *Ioan. XIV, 26.* Sed ne limites dissertationis transgre-
 diar, hic subsisto, cum sincero cordis voto, vt pater caelestis omnes infi-
 deles et haereticos, per spiritum sanctum regenerare, illuminare et
 sanctificare velit, propter filium suum, dominum nostrum Iesum
 christum, amen.



ED-Bez. 2002

01 A 6729

Retra

Mi. 46





t. 130
DISPVTATIO SOLEMNIS THEOLOGICA

DE
D I V I N I T A T E
S P I R I T V S S A N C T I
C O N T R A P N E V M A T O M A C H O S

QVAM
P R A E S I D E
I E S . F R I D E R . W E I S S E N B O R N I O
THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE PVBL. PRIMARIO
CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI ECCLESIAST. DIOECES.
IENENSIS SVPERINTENDENTE ET PASTORE


P R O S V M M I S I N T H E O L O G I A
HONORIBVS RITE IMPETRANDIS

DIE XXIII. MAII A. O. R. M DCC XXXX.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM
PVBLICO CONFLICTVI EXPONIT

A V C T O R
I O . C H R I S T O P H O R V S P F E I F F E R

BONAR. ART. MAG. MINIST. EVANGEL. ERFFVRT. ADSESSOR
AD AEDEM SANCT. IOANNIS PASTOR GYMNAS. SENAT.
ET ORPHANOTR. EVANG. INSPECTOR.



IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

